HENRICI BOCERI

...

COMMENTARIUS IN L. UN. C. DE FAMOSIS...

Heinrich Bocerus

Digitized by Google

NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
10 K
2

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

27
C
25

13-10-B-25

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HENRICI BOCERI IVRIS-CONSVLTI, ET ANTE-CESSORIS IN ACADEMIA TüBINGENSI

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Commentarius

IN L. VN. C. DE FA-MOSIS LIBELLIS:

IN QUO NON SOLUM TEXTUS LEGIS ILLIUS DILIGENTER EX-plicatur, ſed & tota materia de famoſis libellis, quæſtionibus variis ex-quiſitè, & accurate illu-ſtratur.

BIBL.SEC.COLL.ROM.SOC.IESV
IHS

TUBINGÆ:
Typis JOHAN. ALEXANDRI CELLII.

ANNO M. DC. XI.

Digitized by Google

IMAGO
NOBILIS ET CONSVLTISS. VIRI,
DOMINI HENRICI BOCERI, V. I. D.
Inclytæ in Academia Tubingenſi Anteceſſoris, &c.



HENRICI *vultum præſens pictura* BOCERI
Exprimit: aſt mentem publica *ſcripta probant.*

Digitized by Google

AVTOR
AD LEGVM
STVDIOSOS IVVENES, NOBILES ALIOSQVE, IN ACAdemia Tubingenſi commorantes.

HOC juris noſtri de famoſis libellis argumentum, adoleſcentes legum ſtudioſiſſimi, amici chariſſimi, à nullo hactenus ita plenè tractatum reor, ut cupida legum juventus omnem materiæ hujus per varias quæſtiones expoſitionem uno quaſi complexu concluſam cùm corporis tùm

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

animi oculis intueri potuerit.

Proinde cum non ita pridem meo, quem typis excuſum nunc vobis exhibeo, commentario, textum l. un. C. de famoſis libel. declarare inſtituerim, ſingulari, quo potui ſtudio, quicquid ad plenam integramque huius portionis noſtri juris expoſitionem pertinere videtur, undique conquiſivi, conquiſitum diligenter pro ingenii modulo expendi, expenſumque, & operosè volutatum judicio meo qualicunque diſpoſui.

Et ſanè confirmare vobis audeo, ea hoc contineri commen-

Digitized by Google

mentario meo, quantumvis brevi, quæ non modò juvenibus juris ſtudioſis, ſed & in praxi verſantibus adjumentum adferre poſſunt preclarum.

Accipite ergo Juvenes ſtudioſiſſimi, Chariſſimi, & hunc ingenii mei partum, eo animo, quo omnem mentis meæ fœtum ſuperioribus annis, & eodem hoc tempore editum, à vobis, aliiſque ſuſceptum ſcio.

Dabo operam, ut ſi longiorem vitæ uſuram, & valetudinem commodam DEVS bonarum rerum omnium dator largiſſimus clementer, & benignè conceſſerit, plura dehinc

Digitized by Google

hinc publicè utilia, de penu mea literaria, vobis, aliiſque legitimæ diſciplinæ amantibus animo adponantur prompto, & lubenti. Valete.

Digitized by Google

ELENCHVS QVÆSTIONUM, QVAE IN HOC Commentario expediuntur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QUÆSTIO I.

AN famoſus ſit libellus, quo alicui generaliter objicitur, quod homo ſit criminoſus, aut ſceleſtus, Das er ein Schandt/oder Schelmſtuck begangen. cap. 1. nu. 9.

II.

Libellus an ſit famoſus, quo alicui objicitur, quod ſpurius ſit? cap. 1. nu. 10.

III.

Spurius an ſit infamis. cap. 1. nu. 11.

IV.

Famoſus libellus an ſit verbalis, vel realis injuria? cap. 1. num. 29.

V.

An de ſubſtantia famoſi libelli ſit, ut in eo expreſſum ſit autoris nomen? c. 2. num. 6.

Digitized by Google

VI.

An verbum, **vnderſchreibt**/in ordinatione criminali Caroli V. artic. 110. intelligendum ſit de ſubſcriptione, ſive inſcriptione, quæ in accuſationis libello per accuſatorem fieri iubetur : vel ea ſub, ſcriptione, quæ famoſo fit libello? cap. 2. num. 9.

VII.

An ſit de ſubſtantia famoſi libelli, ut in eo expreſſum ſit nomen illius, in cuius infamiam compoſitus fuit? c. 2. n. 10.

VIII.

An ſit de ſubſtantia famoſi libelli, ut coram bonis, & gravibus viris productus ſit? cap. 2. num. 14.

IX.

Famoſi libelli de ſubſtantia an ſit, ut in eo certum aliquod, & ſpeciale crimen objiciatur. cap. 2. num. 15.

X.

An teneatur famoſi libelli pœna, qui in eo verum alicui crimen obiecit? cap. 3. num. 11.

XI.

Quæ ſit vera ſententia l. Eum qui nocentem. ff. de iniuriis, latè inquiritur. c. 3. n. 16.

Digitized by Google

XII.

An teneatur pœna famoſi libelli, qui eum alicubi repertum, & lectum à ſe, cuidam alii ſecretò legendum exhibuit? cap. 3. num. 18.

XIII.

An plectatur famoſi libelli pœna, qui repertū aliquo loco famoſum libellū legit, & alii ſimiliter legendum dedit, qui eundē legere quidem cœpit, ſed antequā legendo abſolviſſet, pœnitentia ductus, è manibus ipſius excuſſit, c. 3. n. 19.

XIV.

An teneatur famoſi libelli pœna, qui ab alio compoſitum eiuſmodi libellum, nactus eum manifeſtavit, paratus demonſtrare autorem? c. 3. n. 20.

XV.

An ordinaria famoſi libelli pœna afficiatur, qui eum quidem compoſuit, & alicubi affixit, affixum tamen, antequam publicatus fuerit, pœnitentia ductus refixit, & corrupit? cap. 3. nu. 21.

XVI.

An pœna famoſi libelli convertatur etiam in eum, qui quidem fabricavit libel-

bellum famoſum, at non manifeſtavit, ſed confeſtim corrupit. cap. 3. nu. 22.

XVII.

Sitne famoſus libellus, ſi pars litigans adverſę parti, aut eius teſti, quodam ſcripto judicialiter edito verum aliquod crimen objiciat? cap. 3. nu. 23.

XVIII.

An ulla iniuriarum pœna teneatur, qui in judicio alicui crimen obiicit, etiamſi veritatem criminis non probat.

XIX.

Num iniuria affectus in judicio, an confeſtim ex ea iniuria agere poſſit, lite illa adhuc pendente, an verò differre querelam & actionem ſuam debeat donec cauſa principalis deciſa ſit? cap. 3. num. 32.

XX.

An famoſo ex libello, in filiifam. infamiam ſcripto, obligatus filio maneat, cui pater eam ſimpliciter iniuriam remiſit? cap. 3.

XXI.

An is, qui injuriâ famoſo aliquẽ affecit libello, pœnitentiâ ſua, poſtmodum ſequutâ, liberetur ab iniuriarũ obligatione, & actione? c. 3.

Poſſi-

Digitized by Google

XXII.

Poſſitnè ex famoſo libello contra eius authorem, aut divulgatorem in iudicio experiri privata iniuriarum actione, qui adverſus eundem retorſione uſus fuit? cap. 3.

XXIII.

An vera ſit vulgi opinio, exiſtimantis, infamem fieri, qui famoſo libello, aut convicio à quopiam affectus fuit, ſi non vindicet iniuriam ſibi illatam, cap. 4. n. 1. & ſeqq. & maximè n. 20.

XXIV.

Quæ pœna ſit imponenda Reo famoſi libelli? cap. 5. nu. 4. & ſeqq.

XXV.

Per capitalem pœnam quæ ſignificetur in iure noſtro pœna? cap. 5. num. 6. & ſeqq.

XXVI.

Quæ ſit capitalis pœna in l. un. C. de famoſ. libell. cap. 5. n. 12. & ſeqq.

XXVII.

An pœna famoſi libelli in l. un. C. de famoſ. libel. definita, ſit abrogata iure novo.

Qua

Digitized by Google

XXVIII.

Qua pœna plectendus ſit autor famoſi libelli, qui non adſcripſit nomen ſuum? cap. 5. num. 20.

XXIX.

An l. un. C. de famoſis libell. & Carolina ordinatio criminalis, artic. 110. abrogata ſit moribus, ut hodie omni caſu pœna famoſi libelli arbitraria ſit. cap. 5. num. 23. & ſeqq.

XXX.

An crimen famoſi libelli privatis vel publicis delictis connumerari debeat? cap. 5. nu. 36. & ſeqq.

XXXI.

Actio iniuriarum ex famoſo libello ſitne annalis, vel perpetua? cap. 5. n. 39.

Digitized by Google

COMMENTARIUS

In l. Vn. C. de famoſ. libell.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IMPP. VALENTIANUS ET VALENS AA.

SI quis famoſum libellum ſive domi, ſive in publico, ſive quocunq; in loco ignarus repererit: aut corrumpat priuſquam alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum. Si verò non ſtatim eaſdem chartulas vel corrumperit, vel igni conſumpſerit, ſed vim earum manifeſtaverit, ſciat ſe quaſi auctorem huiuſmodi delicti capitali ſententiæ ſubjugandum.

 Sanè,

Digitized by Google

Sanè, ſi quis devotionis ſuæ, ac ſalutis publicæ cuſtodiam gerit, nomen ſuum profiteatur, & quæ per famoſum libellum perſequenda putaverit, ore proprio edicat: ita ut abſque ulla trepidatione accedat: ſciens quidem, quod ſi aſſertionibus ſuis veri fides fuerit opitulata, laudem maximam, & præmia à noſtra clementia conſequetur: Sin verò minimè hæc vera oſtenderit, capitali pœna plectetur. Huiuſmodi autem libellus alterius opinionem non lædat.

PRO-

SUMMARIA.

1. Honore alterius inſidiari ſcelus grave eſt.
2. Suus cuique honor charus eſt.
3. Honoris privatio gravior cenſetur oculorum amiſſione.
4. Vitæ & honoris cauſa à pari procedunt.
5. Infamiæ metus viris honeſtis major eſt, quam mortis.
6. Honorem proprium qui amittere mavult, quam commodum, non caret dolo.
7. Calumniandi crimen inter prænuncia extremi judicii ſigna connumeratur.
8. Famoſos libellos, carmina famoſa, verſus famoſos, famoſa epigrammata, & picturas famoſas qui fabricant, eos novæ & priſcæ leges dignis proſequuntur poenis.
9. Diſtributio tractatus huius in capita VI.

PROŒMIUM.

GRAVE ſcelus eſt, & atrox facinus, honorem alicuius & famam depeculari. 1
Quid enim honeſto viro ſanctius, quid antiquius eſſe poſſet, quàm ut ſartam tectam integramque exiſtimationem ſuam retineat, ac conſervet? Cum fama hominis omnium rerum precioſiſſima ſit, & inæſtimabilis, *l. ſi in duabus 105. ff. de reg. jur.* Omnia ſi perdas (ait Poeta) famam ſervare memento: Quâ ſemel amiſſâ poſtea nullus eris: graviorque oculorum amiſſione cenſeatur honoris privatio, *l. Infamia 8. C. de Decurionib. libr. 10.* & cauſa vitæ, ac honeſtatis à pari procedant, *l. Iuſta 9. ff. de manumiſſ. vind.* Viriſque honeſtis metus infamiæ maior, quàm mortis eſſe debeat, *l. Iſti quidem 8. §. Quod ſi dederit,*
(margin numbers: 2 beside "Quid enim", 3 beside "Quâ", 4 beside "& cauſa vitæ", 5 beside "Viriſque")

 §. Quod

6 *ff. Quod met. cauſ.* & dolo carere non dicatur, qui honorem amittere proprium, quàm compendium maluit, *l. Iulianus 26. in fine*
7 *prin. ff. Si quis omiſſa cauſa teſtatori*. Eſtque adeo odioſum, & Deo inviſum calumniandi & maledicendi crimen, ut inter prænuncia extremi judicii ſigna illud connumeret, *2. Thimot. 3. verſ 1. 2. & 3.*

8 Meritò igitur & priſcæ & novæ leges dignis proſequuntur pœnis eos, qui famoſos libellos, carmina famoſa, verſus famoſos, famoſa epigrammata, aut picturas famoſas, ad denigrandum alterius famam ſcribere, facere, proferre, audent.

De antiquis huius generis legibus Auguſti Imp. Tiberii, Neronis, aliorumque meminit Tacitus *lib. 1. amal. cap. 14. & libr. 4. capit. 5.* Item Sueton. in Auguſto *cap. 55. & 56.* & in Tiberio, *cap. 28. & 58.* tum etiam Alexand. ab Alexand. *lib. 6. genial. dier. cap. 10.*

Juſtinianeum quoque jus hoc grande crimen planè averſatur, & juſto vindicat ſupplicio, *l. Lex Cornelia 5. § Si quis 9 §. Eadem pœna, & §. ſeq. & l. Sacroſanctum 6. ff. de injur. l. Vn. C. de famoſ. libell.*

Tandem etiam noviſſimi Imperatores Carol. V. Ferdinand. Maximilian. II. approbantibus Imperii proceribus ad amovendum hoc malum remedia compararunt, Peinliche Halßgericht Ordnung artic. 110. Reichs

abſchid

abſchid zu Speyr de anno 1529. §. Darzu ſollen vnd wollen wir/pag. 193. fac. 2. Reichsabſchid zu Augſpurg de anno 1530. §. Vnd nach dem die vnordenliche Truckerey / pag. 209. Item de anno 1548. *Tit.* von Schmehſchrifften/pag. 66. Reichs abſchid zu Speyr de anno 1570. §. Zum andern ſollen auch/ rc. Reichs abſchid zu Franckfurt de anno 1577. *Tit 35.*

Quoniam verò gravior eſt, & multò acerbior famoſi libelli, quam alterius injuriæ ſcriptæ pœna: nec patet, in promptuve eſt cuivis, quid famoſus libellus ab alia differat injuria, quæque ſit ſubſtantia famoſi libilli; & de pœna etiam huius criminis hodie variant Doctores practici: Atque etiam utiles in hac juris noſtri parte quæſtiones occurrunt: Viſum mihi fuit, interpretatione mea d. l. Un. C. de famoſis libellis, dilucidè explicare. 9

Id autem ordine ut fiat, exponam primum quid ſit famoſus libellus; Ubi ſimul aperiam diſcrimen inter famoſum libellum, & aliam ſcriptam injuriam, & non ſcriptam. Deinde famoſi libelli ſubſtantia quibus contineatur rebus, breviter explanabo; Ubi genera famoſi libelli quæ ſint, planè ſignificabitur: tum quis famoſo ex libello ad pœnam obligetur, & quis excuſetur ab illa pœna, diligenter expediam. Ubi etiam nodoſam tractabo queſtionem, an pœna dignus ſit, necne

verum qui alicui famoſo in libello crimen objecit: tum etiam famoſo diffamatus libello an exiſtimationis ſuæ, & dignitatis imminutionem ex eo patiatur, necne, paucis oſtendam. Poſtea de vindicatione in autorem, approbatorem, & propagatorem famoſi libelli jure comparata nonnihil dicam: Ubi etiā de retorſione, & quandiu vindicatio illa competat, ſtudioſè agam. Denique addam aliquid de præmio, quod jure propoſitum eſt his, qui autorem, aut divulgatorem famoſi libelli indicant.

CAP. I.

Quid ſit famoſus libellus.

SUMMARIA.

1. Famoſi libelli definitio.
2. Paſquilli nomen unde ſit.
3. Definitionis famoſi libelli explicatio.
4. Infamia quibus verbis inferatur.
5. Famoſus libellus ſine dolo non componitur.
6. Factum illicitum præſumitur doloſum.
7. Libellum famoſum quis pandere poteſt abſque dolo malo
8. Differentia famoſi libelli, & alterius ſcriptæ injuriæ quæ ſit.
9. Libellus, quo alicui objicitur, das er ein Schand / oder Schelmſtuck begangen / an ſit famoſus libellus?
10. Libellus an ſit famoſus, quo alicui objicitur, quod ſpurius ſit?
11. Spurius an ſit infamis?
12. Spurius jure canonico aliqua defectus nota laborare dicitur: Et quomodo hoc intelligendum.

13. Spurius jure divino Eccleſiam Domini ingredi prohibetur.
14. Liberi naturales alieno dicuntur laborare vitio.
15. Muliere ex ingenua, & illuſtri natum appellari ſpurium eſt injurioſum, & acerbum.
16. Inceſtis nuptiis procreati infames ſunt.
17. Spurii apud graves homines levi quadam maculâ aſperſi videntur.
18. Legitimè natus in petendis honoribus ſpurio præfertur.
19. Spurius aſſeſſoratus honore in Camerali judicio indignus cenſetur.
20. Spurius in quibuſdam Academiis inſignia Doctoralia capere nequit.
21. Spurios in Senatum ſuum veneti non admittunt.
22. Excoriatores cadaverum, & Carnifices quadam macula laborant.
23. Famoſus libellus cur diſtinguatur ab alia injuria non ſcripta?
24. Famoſa pictura an ſit famoſus libellus.
25. Famoſi libelli, & picturæ famoſæ eadem eſt pœna.
26. Carmen famoſum voce cantatum non eſt famoſus libellus. Eadem tamen eiuſque pœna eſt.
27. Carmen famoſum dicitur quoque Pſalterium famoſum.
28. Sculptile, & fuſorium opus in alicuius infamiam factum ſimile eſt famoſo libello.
29. Famoſus libellus an ſit verbalis, vel realis injuria.

QUid famoſus ſit libellus, nemo hactenus Interpretum vel definiendo perfectè oſtendit, vel deſcribendo ita declaravit, ut quid ab alia ſcripta injuria differat, ſatis cognoſci poſſit. 1

Ego in hæc definio verba: FAMOSUS LIBELLUS EST SCRIPTURA, QUA ALICUI AD EIUS INFAMIAM IGNOMINIOSUM ALIQUID DOLOSÈ

Digitized by Google

OBIICITUR. Vulgò dicitur paſquillus. Germanicè ein Schmachſchrifft / communiter ein Paßquill.

2 Appellatur autem Paſquillus ex eo, quod omnis generis ſcripta maledica, apud Paſquilli ſartoris Romani tabernam, ubi ei mortuo ſtatua marmorea habitu gladiatorio erecta erat, noctu affigi ſolebant. Ideo autem eo loci affigebantur famoſi libelli, quod ipſe ſartor Paſquillus, homo Pontificius, ob vitia ipſum Papam, & Papæ ſenatum, id eſt, Cardinales mira libertate, & impunitate vellicare ſolitus fuit. *Vide Theatrum vitæ humanæ, vol. 21. libr. 3. fol. 3709. in verb. Paſquillus.*

3 Scriptura quod ſit famoſus libellus, nomen libelli arguit, ut & text. *in d. l. 5. §. Eadem pœna, ibi, ſine ſcriptura, junct. §. præcedenti, ibi, Si quis librum, ff. de injur.*

Per ſcripturam non modò intelligo eam, quæ chartis, & quæ membranis comprehenſa eſt, ſive liber ſit typis excuſus, aut manuſcriptus, ſive epiſtola, ſive Epigramma, ſive programma, ſive carmen, id eſt canticum, vel aliquid aliud, *d. l. vn. ibi, eaſdem chartulas, C. de fam. libell. d. l. 5. §. Eadem pœnâ, ff. de injur. l. Ob carmen famoſum, 21. in prin. ff. de teſtib. & l. Is cui, 18. §. 1. ff. Qui teſtamenta fac. poſſunt.* & manifeſtum eſt ex receſſibus Imperii antea citatis.

Quod

Quod autem famoſus libellus ad infamiam alicuius pertineat, patet ex *d. l. 5. §. Si quis, 9. ibi, ad infamiam alicuius pertinentem, & §. ſeq. ibi, in notam aliquorum, & l. Item apud 15. §. Si quis libello, ibi, famam alienam inſectatur, ff. de injur. & §. 1. verſ. Si quis ad infam. Inſtit. d. t.*

Ad infamiam autem objicitur alicui id, quod per ſe ignominioſum eſt, puta furtum, rapina, latrocinium, adulterium, ſtuprum, lenocinium, & quodlibet aliud crimen publici judicii, *l. 1. l. 4. §. ult. ff. de his, qui not. infam. l. Infamem 7. ff. de publ. jud.* 4

Si quis item viro alicui honeſto objecerit quodam libello, quod vel artis ludicræ, pronunciandivè cauſa in ſcenam prodierit, vel de dolo malo, & fraude ſit damnatus ſuo nomine, vel directâ actione pro ſocio, tutelæ, mandati, depoſiti, ſuo nomine damnatus ſit, vel bina ſponſalia, binaſvé nuptias eodem tempore conſtitutas habuerit, cum huiuſmodi facta infamiam contineant, *d. l. 1. l. 2. §. Ait Prætor 5. ff. de his, qui notantur infam.* famoſus eſt ille libellus, *per text. in d. l. 5. §. Si quis librum 9. ff. de injur. & d. l. un. C de famoſ. libell.*

Adjicio deniq; in ipſa definitione, DOLOSE OBIICITUR *per l. 5. §. Si quis librum, ibi, doloſe malo fecerit, ff. de injur. & can. ult. ibi, ſed vim earum doloſe manifeſtaverit, 5 quæſt. 1.* 5

Digitized by Google

Etſi enim in autore famoſi libelli regulariter præſumatur doloſus & injurioſus animus, Angel. *in d. l. 5. §. Si quis librum, ff. de injur.* Cum omne factum illicitum & infame cenſeatur dolo objici, & ex qualitate verborum animus æſtimetur, cum ad mentis declarationem vocis miniſterio utamur, *l. Si quis extraneus 21. in prin. ibi, Nam admiſſum contrariam voluntatem declarat, ff. de adquir. vel amitt. hered. l. Labeo 7. §. Servius, verſ. Id Tubero, ibi, quorſum nomina, niſi ut demonſtrent voluntatem dicentis? Equidem non arbitror quenquam dicere, quod non ſentiret. Item ibi, vocis miniſterio utimur, & nemo exiſtimandus eſt dixiſſe, quod non mente agitaverit, ff. de ſuppellect. legat. l. Reprehendenda 5 C. de inſtitut. & ſubſtitut. Nicol Boer. conſil. 3. nu. 3. Mynſing. Reſp. 51. num. 11. & Reſp. 60. num ult. circa med. & Reſp. 74. num. 8. decat. 8. Vveſenbec. conſil. 22. num. 29. part. 1. latè Ludolph. Shrader. conſil ſuo, quod eſt ſub partic. 2. varior. conſilior. Ioan. Borcholt. pag. 105.* Proindeque audiendus non ſit, qui inconſideratè & per errorem alium ſe diffamaſſe fatetur, *Blarer. in ſumma l. Diffamari, in verb. Errore, vel malignitate num. 8. C. de nig. manumiſſ. & ibid. Contard. cap. 2. nu. 14.*

7 Quia tamen fieri poteſt, ut quis pandat famoſum libellum animi neutiquam malo, ut oſtendit poſt alios Burſat. *conſil. 94.* tum & Menoch. *li. 2. de arbitr. jud. cent. 3. caſu 263.*

num.

num. 37. 39. & 41. & latius aperiam infrà ca. 3. adjectionem hanc in definitione famoſi libelli neceſſariam duxi.

Illud autem à famoſo libello differt alia ſcripta injuria, quod hæc quidem ad contumeliam alicuius pertinet: verum abſque infamiæ nota: ut cum quis ſcripto alicui objicit, quod luſcus ſit, vel claudus, vel fatuus, vel mendicus, vel cadaverum excoriator, vel Carnifex, &c. Weſenbec. *in paratit. ff. de injur. num. 19. & conſil. 22. nu. 5. part. 1.* vel generalibus verbis, quod nebulo ſit, vel ſcurra, ut idem ſentit Weſenbec. *in notis ad Iohan. Schneidvvein. Tit. Inſtitut. de injur. §. 1.* 8

Quid verò ſi quis aliquem in libello appellet hominem criminoſum, aut ſceleſtum, Daß er hab ein Schandt oder Schelmenſtuck begangen / nunquid libellus ille pro famoſo haberi poteſt, ut locus ſit pœnæ famoſi libelli? Weſenb. negat. in notis ad Schneid. *dict. loco,* Negare itē videtur d. conſil. 22. n. 5. verſ. Famoſus verò libellus &c. & in Oeconomia juris ad *Tit. C. li. 9. mihi pag. 206.* Ubi ad hoc ut famoſus ſit libellus, deſiderat crimen alicui certum, & notabile objici. 9

Cæterum quia criminoſus ille dicitur, qui crimen aliquod commiſit, de quo publico in judicio, vel extra ordinem accuſari poteſt: cum omne crimē, vel publici, vel extraordinarii ſit iudicii, *Tot. Tit. ff. de ext. criminib. & Tot. Tit. ff. de publ. jud.* ac huiuſmodi crimen ali-

aliquod reo damnato infamiam ingerat, *l. Infamem, ff. d. t.* proindeque objectio illa criminis, generaliter facta, certò pertineat ad ignominiam ſive infamiam, effecit profectò libellum famoſum, per jura ſupra adducta, quæ volunt, quod famoſus libellus ad infamiam alicuius fiat.

Idem & multò magis dicendum reor de eo libello, in quo quis ſceleſtus appellatur, cum & hæc appellatio SCELESTUS ad infamiam pertineat, ut notum eſt nobis maximè germanis.

10 Non ineptè hoc loco in quæſtionem vocari poteſt, ſitne famoſus libellus, ſi quis ſcripto objiciat alicui, quod ſpurius ſit, Das er ein baſtart/ein huren/oder vnehelichs Kind ſey? Weſenbec. negat, & ſcriptam dicit injuriam, non famoſum libellum, *in Paratit. ff. de injur. nu. 19. & d. conſil. 22. nu. 5. verſ. injuria fieri poteſt, part. 1.*

11 Diſpiciendum autem hîc, An infamibus connumerandus ſit ſpurius, necne? Infamis ſi eſt ſpurius, famoſus quoque libellus eſt, in quo aliquis ſpurius appellatur, & traducitur. Si non eſt infamis, injurioſa tantum ſive contumelioſa eſt ſcriptura, in qua quis ſpurius dicitur, non eſt famoſus libellus cum non ad infamiam, ſed ad aliam pertineat contumeliam.

Ac

At eſt controverſa admodum quæſtio, ſitné infamis ſpurius, vel alienus ab infamibus? Palæotus *lib. ſing. de ſpuriis & nothis, cap. 55. Thæmius deciſ. 48* Hartman. Piſtoris, *libr. 1. quæſt. jur. quæſt. 30.* & Modeſtin. Piſtor. *conſil. 46.* contra alios negant, ac oſtendunt, quòd ſpurius neque juris, neque facti infamiâ laboret: quæ ſententia vera eſt, *per text. elegantem in l. 3, §. Spurios, l. Spurii, 6. in princ. ff. de Decurionib. c. Niſi 10. §. Perſonæ, verſ. Ego ſum, & verſ. ſeq. extra de renunciat. can. 1. & ſeqq. diſtinct. 56. l. Si quis 33. §. Legis autem, verſ. Hoc iniquum, C. de inoffic. teſtam. & l pen. §. Exiſtimatio, ibi, Ex delicto noſtro, ff. de variis & extraordinar. cognit.*

Et licet Canonico jure aliquâ defectus 12
notâ ſpurius laborare dicatur, proindeque ad ſacros ordines promoveri prohibeatur, *c. Accedens, extra de purgat. Canonic. Can. 1. & Can. ſi gens, diſtinct. 56. c. per venerabilem, in fin. extra Qui filii ſint legitimi*: Id tamen non de omni ſpurio intelligendum eſt, ſed de eo tantum ſpurio, qui parentum vitia imitatur, non etiam de eo, quem vitæ honeſtas, & propria virtus commendat, *can. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 12. 13. & 14. diſtinct. 56.*

Quod autem Deut. *23. verſ. 2.* Manſer, hoc 13
eſt, de ſcorto natus in Eccleſiam Domini ingredi, id eſt, munus publicum gerere prohibetur uſque ad decimam generationem, præ-

Digitized by Google

præceptum illud ad Judaicam pertinere politiam, idque temporale, non perpetuum fuiſſe ſacræ literæ teſtantur: quæ arguunt, quod & ſpurii, & ex iis nati ad ſacra & politica munia ſint admiſſi. Phares enim filius Judæ fuit Spurius, ex Thamar, nuru eius, Geneſ. 38. Illius tamen poſteri ad publica munera admiſſi fuerunt, ut patet ex *libr. Ruth. capit. 4. Matth. cap. 1. libr. Numeri, capit. 2. & Can. Dominus noſter, diſtinct. 56.*

14 Quamvis etiam alieno dicantur loborare vitio naturales liberi, *l. Legem 7. C. de naturalibus libr.* Vitium tamen illud in ipſis ſpuriis infame non eſt. Alioqui enim omnis homo infamis diceretur, cum vitio primorum parentum laboret.

15 Quod porrò attinet *l. pen. C. ad Senatum Orfitianum.* ubi Juſtinianus Imp. in mulieribus ingenuis, & illuſtribus ſpurios nominari ſatis injurioſum dicit, & acerbum, ac indignum, id non habet eum intellectum, quaſi ipſi ſpurii, ex eo quod ſpurii ſunt, infames cenſeantur, ſed quod ſpuriorum matri Illuſtri injurioſum ſit, & indignum, quod ſpurios habeat filios.

16 Denique text. in Can. coniunctiones 35. quæſt. 2. & 3. verſ. Nos verò, loquitur non de ſpuriis, ſed de contrahentibus nuptias inceſtas; & ait, quod hi infames ſint. Sic textus *in Can. infames 6. quæſt. 1.* eſt de his, qui com-

miſe-

miſerunt inceſtum, non de liberis inceſtuoſis.

Cum ergo ſpurii non ſint infames, ut ex prædictis à me diſputatis, atque etiam à Domino Collega, D. Harpprechto *ad §. 1. nu. 227. & ſeqq. Inſtit. de injur.* comprobatis, abundè evincitur, cõſequens ei eſt, ꝙ ſi quis ingenuè, & legitimè natus quadam in ſcriptura ſpurius appelletur, ſcriptura illa ſit quidem injurioſa, & per eam inferatur injuria, ad famoſus libellus non ſit, ut Weſenbec. *ſupra dict. loco* cenſet.

Etſi verò neque juris neque facti infamiam ſuſtineant, attamen apud graves homines ob parentum ſuorum vitium, levi quadam macula affecti videntur, ut arguit text. *in l. 3. §. pen. ff. de decurionib.* Ubi dicitur, ſi ſpurius in petendo honore, id eſt, magiſtratu competitorem habeat legitimè natum, quod hunc illi præferri oporteat. Cautum eſt etiam in ordinatione Camerali, *part. 1. Tit. 3.* §. Deßgleichen ſollen die Beyſitzer / ne ſpurius adſeſſor cooptetur. In aliquibus item Academiis inſignia Doctorea non conferuntur ſpuriis, *Mynſing. cent. 4. obſervat. 31.* Venetos quoque non admittere ſuum in conſilium ſpurios teſtatur Fulgos. *conſil. 62. ſtante ſtatuto,* & Nevizaa. *in Sylva nuptial. lib. 3. pag. 93. col. 3.*

Sic

22 Sic & alii quidam ſunt, qui neque juris, neque facti infamia laborant, levi tamen macula aſperſi dicuntur, *l. Fratres 27. C. de inoffic. teſtam. l. 2. C. de dignitat. lib. 12. Ferd. Vaſq lib. 1. de teſtatoris potent. §. 10. num. 68.* ut ſunt cadaverum excoriatores, & carnifices, Joan. Faber. *ad §. Soror. Inſtit. de inoffic. teſtam.* & Johan. Schneidwin. *ad §. Non autem liberis, num. 17. Inſtit. d. t.* quorum appellatio quadam in ſcriptura facta non famoſum efficit libellum, ſed vulgarem injuriam arguit, ut ſupra dixi.

23 Quod ſi quiſpiam hic quærat, cur illa injuria, qua alicui in libello objicitur, quod ad infamiam pertinet, diſtinguatur ab alia injuria non ſcripta, quæ ſimiliter propter objectum crimen ad alicuius pertinet infamiam? reſponderi poteſt, quod eiuſmodi injuria per libellum impoſita, latius pateat & longius graſſetur, ac in alterius nomen atque famam atrocius incurrat, quam ea injuria, quæ ore tantum prolatis verbis infertur, *l. Item apud Labeonem 15. §. Itaque Prætor, 44. ff. de injur. Franciſc. Balduin. in Catecheſi jur. civil. mihi pag. 179.* Cum ſcripta injuria durabilior ſit, proindeque maior, magiſque publica, quàm oretenus in aliquem conflata injuria, Weſenbec. *in dict. Oeconomia jur. civil. lib. 9. Cod. mihi pag. 206.*

De

De pictura famosâ, ad infamiam alicuius facta, quæri poteſt, an famoſi libelli appellatione contineatur? Non deſunt, qui ita planè ſtatuunt, quando famoſum definiunt libellum, quod ſit notabile aliquod delictum ſcripturâ, pictura, aliave notâ, certæ vel incertæ perſonæ objicitur. Althuſius quoque *lib. 1. Iurisprudentiæ Romanæ capit. 53.* ſcriptam injuriam diſtinguit in libellum famoſum & picturam, ſequitur eundem Dominus Collega D. Harpprechtus *in §. 1. nu. 152. Inſtit. de injur.* At quia alia eſt ſcriptura, alia pictura, *l. Qua ratione 9. §. 1. & §. 2. ff. de adquir. rer. dom. §. Literæ & §. ſeq. ff. de rer. diviſ.* commiſceri ſpecies illæ diſparatæ non debent: Receſſus quoque Imperii, de quibus ſuprà nominatim diſtinguunt inter famoſum libellum, & picturam famoſam, quando ſeparatim loquuntur **von Schmachſchrifften vnd Gemälden.** 24

Non tamen diffiteor, quod eadem ſit conditio, & pœna famoſæ picturæ, quæ famoſi libelli, *per text. in d. l. Lex Cornelia 5 §. pen. ff. de injur.* & arguunt idem receſſus Imperii, quos adduxi ſupra. verum propter pœnæ paritatem diſparatas confundere ſpecies haud logicum judico. 25

De carmine famoſo, non ſcripto, idem ſentiendum eſt, ut evincitur ex *l. Ob carmen famoſum 21. in prin. ff. de teſtibus & l. Is cui,* 26

18. §. ult. ff. Qui teſtam. fac. poß. junct. d. l. 5. §. Si quis 9. in fin. ff. de injur.

27 Carmen autem famoſum Julius Paul. *lib. 5. ſentent. Tit. 4.* Vocat pſalterium, quod canticum interpretatur. Receſſus Imperii appellant germanicè ein Schmählich gedicht. Eatenus tamen carmen fomoſum eiuſdem conditionis eſt, cum libello famoſo, quatenus publicè, puta in foro decantatum fuerit, vel alibi præſente hominum turba, ut evincitur ex Julio Paul. *dict. Titul. 4. §. Pſalterium.*

28 Similiter ſiquis ſculptile, aut fuſorium opus in alicuius infamiam fecerit, aut ab alio factum injuriosè protulerit, ſimilis erit ei, qui famoſo libello aliquem traduxit, ut teſtatur Receſſus Imperii Auguſtanus de anno 1548. *Tit.* von Schmehſchrifften / Gemählts vnd Gemächts / *pag. 66. §.* Ferrer ſetzen vñ wollen wir ꝛc. *verſ.* Deßgleichen auch ꝛc. *ibi,* gemahlet geſchnitzt / gegoſſen / oder gemacht ꝛc. Item Receſſus Imperii Spirenſis de anno 1570. §. Wiewol auch auff etlichen ꝛc. pag. 666. tum etiam Receſſus Imperii Francofurtenſis de anno 1577. *Titul. 35. §.* Vnd ſetzen ordnen / vnd wollen wir. Cæterum quia famoſi libelli, die Schmachrifften vnd Paſquill frequentiores ſunt, quam picturæ famoſæ, aut carmina, id eſt cantica famoſa, aut ſculptilia, & fuſoria opera famoſa, placuit

cuit mihi de illis principaliter, de his verò incidenter hoc commentario agere.

Non eſt hoc loco omittenda quæſtio hæc, ſitné realis, an verbalis injuria, quæ per famoſum libellum alicui illata dicitur? Ludovicus Roman. conſil. 378. Verbalem hanc eſſe injuriam reſpondit. Romanum ſequitur Weſenbec. *dict. conſil. 22. num 5. verſ. Et licet, part. 1.* quæ ſententia & mihi probatur, aliis tamen argumentis, quàm quibus utitur Romanus, quæque adprobare videtur Dominus Weſenbec. 29

Tria pro iſthac opinione adducit argumenta Romanus. Primum illud eſt, Juriſconſultus Ulpian. *in l. Lex Cornelia, ff. de injur.* per omnia, inquit parificat, tam ſcilicet, quò ad pœnam, quam quò ad delicti qualitatem, injuriam verbo, & injuriam ſcriptis alteri illatam. Eſt ergo quælibet hæc injuria verbalis: quoniam ſi realis eſſet injuria, quæ per ſcripturam fit, graviorem illi pœnam Juriſconſultus propoſuiſſet, quàm illi, quæ vivæ vocis prolatione infertur, cum gravior ſit injuria realis, quam verbalis.

Sed hæc ratio alieniſſima eſt à Juriſconſulti ſententia dicto loco, ut quilibet latini ſermonis haud ignarus animadvertere poteſt. Quinimo contrarium definit ibi Juriſconſultus, cũ affirmat, inteſtabilem lege fieri

Digitized by Google

eum, qui ad alicuius infamiam librum ſcripſit, compoſuit, edidit, quæ pœna non eſt ſimplicis injuriæ, lingua, ſive ore tantum illatæ, cum nominatim, ut dicto loco, ſic & in *l. Is cui 18. §. 1. ff. Qui teſtam. fac. poſſ. & in l. Ob crimen, 21. in prin. ff. de teſtib.* famoſo libello adſcribatur, nec uſquam ſimplici injuriæ aſſignetur.

Alterum argumentum Ludovici Romani hoc eſt: Legislator *in l. Apud Labeonem 15. §. Convicium junct. §. ſeq. ff. de injur.* convicium dicit eſſe adverſus alium injurioſi verbi vociferationem; organo vivæ vocis: & poſtea in *§. Convicium non tantum &c.* reſpondit, convicium eſſe, ſive in præſentem, ſive in abſentem, & ſic per literas injurioſi verbi proclamatio facta ſit. Atque hinc concludit Romanus, eandem eſſe injuriam, quæ literis fit, cum ea, quæ infertur voce viva; quæ conſequentia & meo judicio vera eſſet, ſi dicto loco diceretur, convicium fieri quoque per literas in abſentem. Sed Juriſconſultum Ulpiam, id ſenſiſſe ibi, nullo verbo oſtendi poteſt. Scribit quidem convicium fieri etiam abſenti, at non addit literis id fieri, ſed vociferatione, ut ſi quis ad domum tuam, aut tabernam venerit, te abſente, & vociferatione injurioſa in te utatur, ut aliquot ſeqq. §§§. diſertè arguunt.

Ter-

Tertium argumentum depromit Romanus ex *c. conſtitutionem, &c. ubi periculum, Tit. de ſententia excommunicat. lib. 6.* ubi deciſum ait, idem eſſe per omnia, ſive literis, ſive verbo vivo quis injurioſè in alterum loquatur. Sed de hoc comparativo enunciato verbum extat nullum *in d. c. conſtitutionem* Nec reperitur alterum cap. ſub. dict. Tit. Neque etiam veriſimile eſt, quod jure Canonico ullo loco ſcripta injuria, ad infamiam alicuius quæ pertinet, æquiparetur injuriæ linguâ & ore alicui illatę, cum illud quoque jus conſtitutionem *d. l. un. C. de famoſ. libell.* ad probet. *in can. Si qui inventi, 5. quæſt. 1.*

Alia argumenta, quibus roborari poteſt ſententia Romani, & Domini Weſenbecii, quam veriſſimam judico, hæc ſunt. Omnis injuria aut re fit, aut verbis. Re, quoties manus inferuntur. Verbis, quoties non manus inferuntur, ut ſi convicium fiat *l. 1. §. 1. ff. de injur.* Per ſcripturam autem cum fit injuria, non inferuntur manus. Ergo non eſt realis injuria, quæ ſcripto infertur. Manu quidem fit etiam ſcripta injuria, ſiquidem manu ſcribamus. Sed dicto loco manus alicui inferre dicitur, qui alicuius corpus pulſat, verberatvé, aut domum alterius vi ingreditur, ut arguit *d. l. 1. §. 2. & text. in l. Lex cornelia, 5. in prin. & §. 1. ff. d. t.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

Adhæc ſcripta injuria diſertè opponitur delicto, quod re, puta facto quodam committitur. *l. Aut facta 16. in prin. ff. d. pœnis*, ſcripta ergo injuria non eſt realis, ſed verbalis injuria.

Deinde licet alia injuria ſit dicta, ut ſi convicium fiat, alia ſcripta, ut quæ per famoſum libellum infertur, attamen utraque hæc injuria manifeſtè opponitur illi injuriæ, quæ re fit, id eſt, facto quodam, *d. l. Aut facta 16. in prin. ff. d. t.* Ut ergo dicta injuria, ſic & injuria ſcripta realis non eſt, proindeq; verbalis.

Poſtremò certiſſimum eſt, & grammaticis etiam non ignotum, quod verba aut dicantur, ſive ore proferantur, aut ſcribantur. Cui conſequens, quod & ſcripta injuria ſit verbalis injuria.

Utilitas autem huius quæſtionis eo continetur, quod realis injuria, quæ pulſando, verberando, domum alienam Vi introeundo, committitur, aliam habet pœnam, quam verbalis injuria ſive famoſo libello, ſive alia ſcriptura injurioſa fiat, ut patet ex *l. Hos accuſare 12. §. ult. in prin. ubi* Bart. & alii, *junct. verſ. Item cornelia injuriarum, ff. de accuſat. l. 4. in fin ff. de vi privat. l. un. C. de famoſ. libell.* & Peinliche Halßgerichts ordnung *artic. 110.*

De

CAP. II.

De ſubſtantia, & generibus famoſi libelli.

SUMMARIA.

1. Subſtantia cuiuſque rei in iure noſtro quid ſit.
2. Natura rei differt ab eius ſubſtantia.
3. Natura alcuius rei quid ſit?
4. Natura rei vel ſeparabilis eſt, vel inſeparabilis.
5. Subſtantia famoſi libelli quæ ſit.
6. Omiſſio nominis autoris libelli famoſi, an ſit de ſubſtantia famoſi libelli.
7. In famoſis libellis plerumq; nomẽ autoris omittitur.
8. Reſtrictionem non inducunt, quæ gratia frequentioris uſus exprimuntur in legibus.
9. In ordinatione Criminali Caroli V. artic. 110. an verbum, vnderſchreibt/ intelligendum ſit de ſubſcriptione, id eſt, inſcriptione, quæ in accuſationis libello per accuſatorem fieri debet? vel ea ſubſcriptione, quæ famoſo fit libello?
10. De ſubſtantia an ſit famoſi libelli, ut in eo adpoſitum ſit nomen illius, in cuius infamiam compoſitus fuit.
11. Iniuria non cenſetur, cum infamati nomen expreſſum non eſt
12. Ex conjecturis colligi poteſt, in cuius infamiam cõpoſitus ſit famoſus libellus, etſi eius nomen nõ ſit expreſſum.
13. Diffamator cogi poteſt ut exprimat ac ſignificet diffamati nomen
14. De ſubſtantia famoſi libelli an ſit, ut productus ſit apud bonos, & graves viros.
15. Famoſi libelli de ſubſtantia an ſit, ut in eo certum aliquod, & ſpeciale crimen objiciatur famoſũ?
16. Iure cautum eſt, ut libellus ſit famoſus, in quo ad infamiam alicuius quid ſcriptum eſt: non æquè cautum, ut certum aliquod ſpeciale crimen famoſum objectum ſit.
17. Genera famoſi libelli tria ſunt.
18. Genera famoſi libelli cur ſint diſtinguenda.

Digitized by Google

1 Subſtantia cuiuſque reî in jure noſtro nihil aliud eſt, quam ipſius rei forma eſſentialis, per quam res eſt id, quod eſt, & qua ſublata ipſa res eſſe deſinit, *l. Pacta conventa 72. in fin. prin. ibi, quoniam emptionis ſubſtantia conſtitit ex precio, ff. de contrahend. empt. & vendit. & l. Julianus 9 §. Sed ſi quis 3. ibi, mutata forma prope interimit ſubſtantiam rei, ff. ad exhibend. l. 3. in princ. ff. de obligat. & actionibus.*

2 Ab hac autem differt rei alicuius natura, ut Doctores communiter docent, quando diſtinguunt inter ſubſtantialia, naturalia, & accidentalia contractus, *in d. l. Pacta conventa, ff. de contrah. empt. & vendit.* Bald. *in l. Ad expactionem in fin. C. de dotis promiſſ.* Curt. Jun. *in Tractat. feudor. part. 1. cap. 7. num. 24. & ſeqq.* Zaſ. *in ſingularib. juris intellectib. cap ſubſtantialia & naturalia contractuum, mihi pag. 86.* quamvis Cujac. *in prælud. feud. in fin.* Contius *lib. 1. diſputat. cap. 17.* & Joannes Borcholt. *in commentar. in Tit. ff. de pact. cap. ult. num. 56.* ſubſtantiam & naturam idem eſſe, & falſam ab Interpretibus communiter traditam inter hęc duo differentiam docere audeant.

3 Eſt autem natura alicuius rei qualitas quędam, juris autoritate ipſi rei tributa, §. *Adeo autem, verſ. Sed talis, ibi, Lex Zenoniana emphyteuſeos contractus ſtatuit propriam naturam,*

turam. Inſtitut. de locat. & conduct. l. Si unus 27. §. Pactus ne peteret, verſ. Quotiens, ibi, Lex naturæ eius tribuit, ff. de pactis, l. Naturalis 5. §. Sed ſi facio, 4. verſ. Sed poteſt mandatum, ibi, naturam ſuam, excedere, ff. de præſcript. verbor.

Et ut alias qualitas rei, ſive accidens, vel ſeperabile eſt, vel inſeperabile: Ita etiam in jure noſtro natura alicuius rei alia ſeparabilis eſt, alia inſeperabilis, ut evincitur ex text. *§. De illa ſanè, verſ. Quintus Mutius Inſtit. de Societat. junct. etiam aliis legib. jam adductis.* 4

Quæ autem ſubſtantia ſit famoſi libelli, ex definitione, & eius explicatione cognovimus, cap. præcedenti. Unde planum & manifeſtum, quod famoſi libelli ſubſtantia contineatur doloſâ objectione facti ignominioſi, ad infamiam alicuius facta. 5

Sed quæſtio ardua eſt, an etiam de ſubſtantia famoſi libelli ſit, ut in eo expreſſum non ſit nomen illius, qui ſcripſit libellum? Affirmativa probari videtur textu *l. un. verſ. Sanè Si quis, C. de famoſ. libell.* Ex quo loco apparet, laudem mereri eum, qui nomen profitendo ſuum, criminoſum hominem indicat. Sic in ordinat. criminali Caroli V. artic. 110. his verbis: Vnd ſich nach ordnung der Recht mit ſeinem Rechten Tauff / vnd zunamen nicht vnderſchreibt oſtendi videtur, non 6

eſſe famoſum libellum ſi autoris nomen ei inſertum ſit. Sanctio item Electoris Saxonici, *part. 4. cap. 44.* ſimiliter innuere cenſetur, non eſſe famoſum libellum, ſi autoris nomen ei ſit adſcriptum.

Verum his nihil motus cum pleriſque juris interpretibus reor famoſum eſſe libellum in famandi alterius cauſa ſcriptum, ſive additum & expreſſum ſit autoris nomen, ſive illud non ſit adjectum, per text. expreſſum *in d. l. Lex Cornelia 5. §. Si quis librum ibi. Etiamſi alterius nomine ediderit, vel ſine nomine ff. de injur.* Ubi vocula, Etiamſi, oſtendit præcedenti enunciato agi de eo, qui ſuo nomine expreſſo ediderit, ut arguit Weſenbec. *in Paratit. ff. de injur. numer. 19.*

Quod autem locus ille de famoſo agat libello dubitandum non eſt, cum inſcriptio illius Tit. ſit duplex, de injuriis ſcilicet, & famoſis libellis, nec uſquàm ſub eo titulo de famoſis agatur libellis evidentius, quam dicto loco. Id quod etiam Dominus Collega D. Harpprecht iiſdem hiſce meis verbis ſequuntus diſertè ſcribit ad §. *Injuria autem, nu. 154. Inſtit. de injur.*

Probat item ſententiam eandem Receſſus Imperii Francofurtenſis de anno 1577. Titul. 35. §. Vnd ſeƶen ordnen/ ꝛc. Ubi dicitur, non referre utrum autor nomen ſuum adjecerit,

vel

vel non adjecerit, his verbis: Es habe der autor ſeinen Namen darunder geſetzt/ oder nicht.

Et quod libellus, aliquem infamandi, cauſa ſcriptus, ſit famoſus libellus, ſive autoris nomen ei additum ſit, ſive non ſit inſertum, docet quoque Bonifacius de vitellinis, *Tractat. de Maleficiis, Rubr. de famoſis libellis, nu. 1. mihi pag. 202.* Weſenbec. *in Paratit. ff. Tit. de injur. num. 19. & dict. conſil. 22. nu. 5* Mynſing *reſponſ. 56. num. 43.* & Joan. Robert. Aurel. *lib. 2. ſententiar. jur. cap. 7. pag. 107. ſub lit. E.*

Quod attinet loca pro altera opinione ſupra adducta, exaudiri illa debent de certo quodam famoſi libelli genere, ut quod publicum deſiderat judicium, & accuſationem mereretur publicam cuivis permiſſam. Quando enim autoris nomen libello inſertum non eſt, tunc autoris probatio difficilis eſt, ut proinde neceſſitatis ratio exigat, cuivis de populo accuſationem permitti, & publica quæſtione rem vindicari, per text. *in l. Quod Senatum 6. ff. de injur.* Atque hinc ejuſmodi famoſi libelli genus in ordinatione criminali connumeratur criminibus, quæ publicam habent accuſationem, & Titulus de famoſis libellis ſimiliter proponitur in Cod. ſub lib. 9. qui totus eſt de criminibus publici & extraordinarii judicii.

Et

Et quia plerunque autores famoſi libelli non addunt, ſed occultant nomina ſua, idcirco d. l. un. C. de famoſ. libell. & ſanctio Carolina, de eo quod frequentius fit, concepta ſunt: Siquidem ad ea potius jus aptari debeat, quæ & frequenter & facilè, quàm quæ per rarò eveniunt, *l. Nam ad ea*
8 *& l. ſeq. ff. de legib.* Sed quæ gratia frequentioris uſus exprimuntur, nullam inducunt reſtrictionem, *gl. in Clement. 1. Titul. de rer. permutat.* Zaſ. *in l. 2. §. Mutui num. 43. & ſeq. ff. de reb. cred. Si cert. pet. Tiraquel. de retract. proxim. §. 20. gl. un. num. 4. & ſeq. Molin. ad conſuetud. Paris. Tit. 1. §. 28. num. 3.*

9 Non deſunt, qui putant, dictam ordinationem criminalem, artic. 110. haud loqui de ſubſcribente nomen ſuum famoſo libello; ſed de illa potius ſubſcriptione, quæ ſecundum ordinem juris fit in judicio ab accuſatore, qui crimen aliquod adverſus alterum intentat, *de qua in l. 3. libellorum, l. Si cui crimen 7. ff. de accuſat. l. pen. & ult. C. d. t.* De hac item accuſatione interpretantur quoque text. *in l. un. verſ. ſanè ſi quis, C. de famoſ. libell.*

Verum hunc intellectum dicti articuli 110. non patiuntur pręcedentia verba, Schmachbrieff außbreittet. Accuſationis enim libellus non eſt famoſus libellus, neque libellus accuſa-

cuſationis diſpergitur, diſſeminatur, diſſipatur, ſed tantum in judicio proponitur. Quocirca veriſimile non eſt, Carolum Imp. eo in articulo verbis illis, **Nach ordnung der Recht/ mit ſeinem rechten Tauff vnnd Zunamen ſich vnderſchreibt** / ſpectare ad legitimè ordinatum accuſationis libellum.

Adhæc totus ille articulus eſt tantum de pœna diſſeminantis famoſum libellum, ut inſcriptio quoque arguit, non de eo, quomodo formari debeat accuſationis libellus.

Denique licet quis accuſationis libellum non ritè conceperit, omittendo nomen ſuum, ex hoc ipſo tamen non arguitur famoſi libelli reus, ſed rejicitur accuſationis ille libellus, & alius legitimè ordinatus exhiberi poteſt, *d. l. 3. §. 1. ff. de accuſat.* Eſt autem conſtitutionis Carolinæ in verbis, **Nach ordnung der Recht/ rc.** hic ſenſus; Quod ſi quis noverit, aliquem commiſiſſe crimen, quod notum eſſe Reipub. expediat, adire competentem Magiſtratum debeat, & coram eo nomen ſuum profiteri, ac indicare ipſum criminis reum, vel ore proprio, vel ſcriptura, *ut arguit d. l. un. C. de famoſ. libell. & l. Eum 18. in prin. ff. de injur.*

Omiſſio igitur nominis Authoris, qui ſcripſit libellum famoſum, non eſt de eius ſubſtantia, cum nomen adjici poſſit, & poſſit

etiam

etiam omitti, ac nihilominus ſit famoſus libellus.

10 Quæritur & illud, num de ſubſtantia ſit famoſi libelli, ut expreſſum in eo ſit nomen illius, in cuius infamiam fuit ſcriptus? Aienti opinioni ſuffragari videtur, quod injuria non videatur illata, niſi appareat cui ſit impoſita. Cum injuria ſit nomen relativum, reſpectum habens ad ſuum terminum, ad eum ſcilicet, cui eſt propoſita injuria; qui terminus non apparet, nec videri poteſt injuria cuiquam facta; ſiquidem ex ſententia Philoſophorum, Platonis & Ariſtotelis, relativa quod ſunt, aliorum ſunt, & eſſe relativorum eſt alterius eſſe.

Deinde juris eſt expediti, quod ubi actio injuriarum non competit, ibi nec injuria argui vera poſſit, *c. cum te, 23. extra de ſent. & re jud. l. Quod reipub. 33. ff. de injur.* Nullius autem expreſſo nomine in libello, non poteſt competere injuriarum actio, cum non ſit, cui competat, ut proinde famoſus dici libellus non videatur, cui non eſt inſertum nomen eius, in cuius infamiam factus eſt libellus.

11 Ad hæc Prætor in edicto ſuo de injuriis, & famoſis libellis, *in d. l. Item apud 15. §. 2. ibi, Convicium cui feciſſe, ff. de injur.* haud obſcurè innuere videtur, non cenſeri fa-

ctam

ctam alicui injuriam, niſi infamati nomen exprimatur. Id quod etiam Juriſconſultus Ulpian. ad ipſum Prætoris edictum eadem in leg. §. Cui, 9. expreſsè notat his verbis: Cui, ait, ſine cauſa adjectum eſt. Nam ſi incertæ perſonæ convicium fiat, nulla executio eſt. His conſequens eſſe videtur, non eſſe famoſum libellum, niſi famati nomen ei ſit adpoſitum.

Cæterum non obſtante ulla hac ratione, jure cautum eſſe dicimus, quod famoſus ſit libellus etiamſi nomen infamati adjectum ei non ſit, textus eſt expreſſus *in l. Quod Senatum 6. ubi Aug. nu. 1. ff. de injur.*

Pro contraria autem ſententia adductæ rationes de ea intelligi debent injuria, quæ ita eſt impoſita, ut nullo poſſit demonſtrari modo cui ſit illata. Quando verò ex quibuſdam conjecturis colligi poteſt, quis ſit ille, in cuius infamiam libellus famoſus ſcriptus, edituſvè ſit, locus eſt injuriarũ actioni, ut ſi ita demonſtratum, & indicatum ſit nomen diffamati, vel ita ipſe notatus ſit eo libello, ut per inquiſitionem indagari poſſit facilè, quis ille ſit, qui famoſo libello ignominiosè traductus eſt, *Bart. in l. Item apud 15. §. Cui, non ſine cauſa, ff. de injur.* & Nicol. Boert. *conſil. 4. num. 18.* Petr. Heig. *part. 2. quæſt. jur. 31. numer. 33. & ſeqq.*

Nihil

Nihil enim curandum, cum quo quis loquatur, ſed in quem voluntatis intentio dirigatur, *l. Cum pater 77. § Donationis 26. ff. de legat. 2. Farnac. in praxi criminal. partic. 3. quæſt. 105. numer. 171.* Nec refert admodum proprio nomine res appelletur, an digito oſtendatur, vel quibuſdam vocabulis demonſtretur, ut ait Paul. Juriſconſultus *in l. Certum 6. ff. de verb. credit.*

13 Quod ſi autor libelli famoſi in eo ſuum profeſſus ſit nomen, cogere eum poteſt magiſtratus, ut diffamati exprimat, & apertè ſignificet nomen, ex *l. congruit 13. ff. de offic. Præſid. Petr. Heig. die quæſt. 31. numer. 34. part. 2.*

14 Porrò & illud in dubium vocatur, ſitne de ſubſtantia famoſi libelli, ut ille apud bonos & graves viros ſit productus, & in eorum notitiam tranſierit primùm diffamatio eius, in cuius infamiam ſcriptus eſt libellus? Imol. affirmat *in l. Turpia 54. in prin. ff. de legat. 1. per text. in c. Qualiter & quando 24. extra de accuſat.* Ubi Innocent. III. velle videtur, ut aliquis diffamatus ſit apud graves & bonos viros. Idem probari putatur textu *l. Ea quæ 13. ibi, apud bonos & graves opinionem eius onerant. C. ex quib. cauſ. infam. irrog. & textu c. Cum dilectus 15. in fin. ibi, ipſum inveneritis apud bonos, & graves ſuper prædictis criminibus infamatum, extra de purget. Canon.*

Negat

Negat verò poſt alios Auguſtin. Ariminenſis *in additionib. ad Ang. Aretin. Tractat. de Malefic. in verb. verba injurioſa, numer. 7.* quæ opinio negans & mihi probatur; tum quod neque *in l. un. C. de famoſis libell.* neque *in l. Lex Cornelia 5. §. Si quis librum 9. ff. de injur.* neque etiam in ordinatione criminali Imp. Carol. V. artic. 110. (licet utroque loco diſertè agatur de libellis famoſis) nullum extat verbum de hoc famoſi libelli requiſito, ſed ſimpliciter diſponitur, famoſum eſſe libellum, qui ad infamiam alicuius pertinet, nec additur, ſi apud bonos & graves viros panſus ſive productus ſit: tum etiam quod Juriſconſultus Ulpian. *in l Item apud Labeonem, 15. §. Si quis, ibi, libello dato Principi, vel alicui, famam alienam inſectatus, ff. de injur.* definit perinde eſſe, ſive apud Principem, ſive quendam alium, productus ſit famoſus libellus.

Non obſtat text. *in d. c. Qualiter & quando, extra de accuſat.* Nihil enim ibi Pontifex Romannus de famoſo agit libello, ſed docet, quando locus ſit inquiſitioni, cum ſcilicet de aliquo, ut criminis reo, fama ſurrexit, non à malevolis & maledicis, ſed à providis & honeſtis perſonis.

Neque etiam juvat Immolæ opinionem textus *in d. l. Ea quæ 13 C. Ex quibus cauſ infam. irrogatur.* Etſi enim apud bonos & gra-

ves Viros onerant filium verba teſtamenti injurioſa, quibus eum pater increpavit: Inde tamen haud rectè infertur, non aliter famoſum eſſe libellum, niſi ille apud graves & honeſtos viros panſus fuerit; cum argumentum illud ad arguendam propoſitam quæſtionem ſit alieniſſimum.

Deniq; non imminuit negantem ſententiam textus *in d. c. Cum dilectus, in fin. extra de purgat. can.* Locus enim ille non eſt de eo, qui ab aliquo diffamatus eſt de quodam crimine coram bonis & gravibus viris: ſed infamatus ſuper quodam crimine apud bonos & graves viros ille dicitur, qui gravibus & bonis viris ſuſpectus eſt de quodam crimine, ut cum eiſdem ſuppetunt quædam indicia de alicuius facinore; quo caſu deficientibus plenis probationibus, quibus evincatur ita infamatus, canonica purgatio ei indicitur, id eſt, jubetur adſtante legitimo bonæ fidei virorum numero jurare, ſe innocentem eſſe: jubentur item bonæ fidei illi viri ut teſtes jurare, credere ſe & putare, infamatum jurantem vera juraſſe.

15 Eſt & illud quæſtionis, ſitné de ſubſtantia famoſi libelli, ut in eo certum aliquod, & ſpeciale crimen alicui objiciatur, ita ut famoſus libellus non ſit, ſi tantum generaliter in eo quis ignominioſè traducatur? Doctores requirunt, ut ſpecialiter expreſſum ſit cri-

crimen certum, Ang. *Tractat. de Maleficiis in verb. Verba injurioſa & contumelioſa, nu. 7.* Weſenbec. *in œconomia juris, lib. 9. Cod. mihi pag. 206. & conſil. 22. num. 5. & in addit. ad Ioan. Schneidvvein. Tit de injur. §. 1.* Dominus Collega Joan. Harpprecht, *in §. 1. num. 150. Inſtitut. de injur.* At quia omne crimen, ſive publici, ſive extraordinarii ſit judicii, damnatum efficit infamem, *l. Infamem 7. ff. de public. jud.* reor famoſum revera libellum eſſe, in quo quis generaliter dicitur criminoſus, aut ſceleſtus, ut & ſupra dixi. cap. 1.

Jura noſtra deſiderant ad ſubſtantiam famoſi libelli, ut in eo quid ſcriptum ſit ad infamiam alicuius: non autem requirunt, ut ſpecialiter ipſa infamia certo quodam crimine exprimatur, *§. 1. verſ. vel ſi quis ad infamiam, d. l. lex Cornelia 5. §. Si quis librum 9. & l. Item apud 15. §. Si quis libello, ff. de injur.* perinde ergo eſt, exprimatur certum aliquod famoſum delictum, vel generaliter infamia alicui aſpergatur. 16

Si quis tamen impius, malitioſus, aut peſſimus dicatur quodam in libello, arbitror cum Ang. ſupra dicto loco, non eſſe eum libellum famoſum: Cum talis quis poſſit eſſe (Gottloß/ Boßhafftig/ oder böß) etiamſi nullum commiſerit crimen ignominioſum, ob quod jure infamis fiat.

Cum igitur famoſi libelli ſubſtantia neq; omiſſionem authoris, neque expreſſionem nominis infamati, neque etiam bonorum & gravium Virorum præſentiam, neque certi & ſpecialis criminis objectionem deſideret, verum manet, quod conſiſtat ea duntaxat in doloſa objectione facti cuiuſdam ignominioſi ad infamiam alicuius per ſcripturam facta: ut cum libello quodam objicitur alicui, quod fur, vel latro, vel raptor, vel adulter ſit, vel quod aliud crimen commiſerit, ut expoſui *capit. 1.* Quod ſi aliam contineat injuriam ſcriptura quædam, non eſt ea famoſus libellus, proindeque nec publica accuſatio eius nomine competit, nec pœna famoſi libelli irrogatur cuiquam, de qua accuſatione & pœna agam infra.

17 Genera famoſi libelli tribus diſtingui poſſunt modis. Æſtimantur enim vel ex parte ſcribentis, vel ex infamati parte, vel ex infamiæ conditione. Ex ſcribentis parte duo ſunt famoſi libelli genera. Unum eſt, ſi author nomen ſuum non adpoſuerit: alterum, ſi adjecerit nomen ſuum ipſi libello *l. Lex Cornelia 5. §. Si quis librum 9. ff de injur.* Ex infamati parte genera famoſi libelli diſtinguuntur dupliciter: Primum ex appoſitione & omiſſione nominis infamati, *l. Senatum 6. ff. d. t.* Deinde ex qualitate perſonę infamati: Cum famoſus libellus fiat vel ad infamiam perſo-

perſonæ illuſtris, vel in privatam perſonam, Reichsabſchid zu Erfurt de anno 1567. §. Demnach auch / *mihi pag 303. l. 7. §. ult. ff. de injur. & § Atrox, Inſtit d. t.*

Ideo autem diſtinguenda ſunt iſthæc famoſi libelli genera, quod alia jure definita eſt pœna famoſi libelli, cui adpoſitum non eſt autoris nomen: Alia item illius libelli famoſi, cui inſertum eſt autoris nomen, *l un. C. de famoſ libell* Peinliche Halßgerichts ordnung Kayſer Karls deß fünffte *artic. 110. junct. l. Lex cornelia 5. § Si quis librum 9. in fin. ff. de injur. l. Is cui 18. § ult. ff Qui teſtam. fac. poſſ.* 18

Diffamati quoque nomen ſi adjectum non ſit, cuivis de populo accuſandi poteſtas permittitur. Sin eius nomen fuerit adjectum, ipſi quoque privato competit, injuriarum actio. *l. Quod ſenatum 6. ff. de injur.* Atque alia eſt pœna, ſi illuſtris in perſonæ infamiam factus ſit libellus famoſus: alia item, ſi ad infamiam perſonæ privatæ pertineat libellus ille, ut oſtendam infrà cap. pen.

Ex infamiæ conditione duo ſimiliter genera ſunt libelli famoſi: aut enim in eo tale alicui objicitur crimen, cui jura mortis ſtatuunt pœnam: atque hunc libellum propriè dici famoſum, & paſquillum exiſtimant, Menoch. *de arbitr. jud. lib. 2. cent. 3. caſu, 263. num. 43.* Weſenb. *conſil. 22. nu. 5.* & Johan.

Digitized by Google

han. Dauth. *de Teſtament. num. 22. 6. pag. 268. in prin. & nu 227. pag. 269. verſ. ut & diffamatio.* aut eiuſmodi imputatur crimen, ob quod vel alia corporis, vel ſaltem infamiæ pœna imponitur delinquenti. Atque alia eſt illius, alia huius famoſi libelli pœna. Peinliche Halßgerichts ordnung / Keyſer Karls deß fünfften/ artic. 110.

CAP. III.

Quis obligetur ad pœnam famoſo ex libello, & quis ab ea excuſetur pœna.

SUMMARIA.

1. Famoſi libelli pœna tenetur eius autor.
2. Et qui deſcripſit ab alio compoſitum libellum tenetur eadem pœna.
3. Item qui edidit fabricatum ab alio famoſum libellum.
4. Typographus etiam, qui excuſit famoſum libellum, in eadem hæret pœna.
5. Convertitur eadem pœna in eum quoque, qui mandavit, ut ſcriberetur, componeretur, vel ederetur famoſus libellus.
6. Inventum alicubi famoſum libellum qui propalat eadem afficitur pœna.
7. Vt & qui vendit eum, vel emit; aut vendendum, emendumve curavit.
8. Eandem ſubit pœnam, qui famoſam cantilenam publicè plateatim, vel in foro cantat.

9. Su-

9. Suſtinet quoq; hanc pœnam, qui fabricavit famoſum libellum. licet non ab ipſomet, ſed à quodam alio ſit publicatus.

10. Nemo famoſi libelli nomine pœnam luit, niſi doli reus ſit.

11. An teneatur ex famoſo libello, qui verum alicui crimen in eo objecit?

12. Commemorantur tres diverſæ opiniones de propoſita illa quæſtione: quæ durnes rejiciuntur.

13. Autoris de eadem quæſtione ſententia.

14. Sola criminis veritas non eximit aliquem de pœna famoſi libelli.

15. An crimen commiſſum magiſtratui indicandum ſit ore proprio, vel etiam ſcriptura id fieri poſſit?

16. Sententia l. Eum qui nocentem ff. de iniuriis, exponitur.

17. Famoſus libellus, quavis alia iniuriâ acerbior eſt, & atrocior.

18. An teneatur famoſi libelli pœna, qui eum alicubi repertum, & à ſe lectum, cuidam alii ſecretò legendum exhibuit?

19. An pœna famoſi libelli afficiatur, qui repertum aliquo loco famoſum libellum legit, & alii ſimiliter legendum exhibuit, qui eundem legere quidem cœpit, ſed antequam legendo abſolviſſet, pœnitentiâ ductus, è manibus ipſius excuſſit?

20. An teneatur famoſi libelli pœna, qui ab alio compoſitum natus eum manifeſtavit, paratus demōſtrare autorem?

21. Ordinaria pœna famoſi libelli an teneatur, qui cum quidem compoſuit, & alicubi affixit, affixum tamen, antequam publicatus fuerit, pœnitentia dutus refixit, & corruxit?

22. An pœna famoſi libelli convertatur in eum, qui quidem fabricavit talem libellum, at non manifeſtavit, ſed confeſtim corrupit?

23. Sitne famoſus libellus, aliave iniuria quædam, ſi pars litigans adverſæ parti, aut eius teſti, ſcripto quodam judiciali, verum aliquod crimen objiciat?

Digitized by Google

24. Crimen in judicio ex juſta cauſa obiectum non obligat ad pœnam.
25. Ex famoſo libello, vel qua alia injuria nemo tenetur, niſi de eius dolo, & animo injuriandi conſtet.
26. Animus injuriandi eſt fundamentum, & ſubſtantia injuriæ: ac dicitur ſubſtantiale requiſitum actionis injuriarum.
27. Quælibet cauſa à dolo excuſat.
28. Maritus, ſi uxori in judicio de dote, vel donatione propter nuptias ab eo conventus excipiendo objiciat, quod impudicè vixerit, non tenetur pœna famoſi libelli, neque actione Injuriarum conveniri poteſt.
29. Refutantur Dd. qui exiſtimant, non obligari ad ullam pœnam injuriarum, qui in judicio crimen alicui obiiciunt, etiamſi non probent criminis illius veritatem.
30. Explicatur l Si quis 12. ff. de iniur. l. Deferre 18. §. Sed communem, 7. & d. l. Delator 44. ff. de jure fiſci.
31. Crimen qui obiicit alicui in iudicio abſque cauſa, etiamſi verum ſit, tenetur pœna famoſi libelli, item privata iniuriarum actione conveniri poteſt.
32. Iniuria affectus in iudicio an confeſtim ex ea agere poſſit iniuria, lite illa adhuc pendente?
33. De iniuria in iudicio illata experiri iniuriatus poteſt coram eodem iudice, licet reus alterius jurisdictioni ſubiectus ſit?
34. An famoſo ex libello, in filiumfam, ſcripto, obligatus filio maneat, cui pater ſimpliciter eam remiſit iniuriam?
35. Pater non poteſt alienare filii adventitii bona.
36. Pater non poteſt repudiare hereditatem filio delatam: neque legatum, aut fideicommiſſum filio relictum.
37. Actio iniuriarum non eſt in bonis ante litem conteſtatam.
38. Actio iniuriarum ex lege cornelia non competit patri, ſed ſoli filio datur.
39. Actio iniuriarum ex lege Cornelia in eum competit, qui pulſando, verberando iniuriam intulit.

40. Pa-

Digitized by Google

40. Pater non poteſt remittere iniuriam filio illatam, ſi ille à poteſtate patria exemptus ſit.
41. An ſua pœnitentia iniuriator liberetur à pœna famoſi libelli?
42. Pœnitentia ſua in delictis nemo deſinit eſſe nocens.
43. Inconſultus calor non eximit iniuriatorem ab iniuriarum obligatione, & actione.
44. Cauſa ceſſante non ceſſat effectus in jure per eam cauſam quæſito conſiſtens.
45. Retorſio an tollat iniuriarum actionem?
46. Ludolph. Schrad. opinatur, quod retorſio non tollat iniuriarum actionem.
47. Retorſionis remedium non plenè conſulere videtur iniuriato.
48. Actio iniuriarum ad palinodiam, & æſtimatoria ſimul proponi poſſunt.
49. Ex uno facto quando competunt duo juris remedia, tunc unum quod levius eſt, & minus, non tollit, quod eſt amplius, & pinguius.
50. Retorquendo purgatur pudor & convicium factum.
51. Actio iniuriarum pertinet ad vindictam impoſitæ cōtumeliæ.
52. Qui ipſe ius ſibi dixit, atque ita ius dicentis autoritatem neglexit, indignus eſt, qui inſuper legis, & magiſtratus autoritatem ſentiat.
53. Ex uno eodemque facto cum plura iuris remedia cōpetunt, licet ea ſint diverſa, & res diverſas ſpectent, unius tamen uſu alterum tollitur, & aboletur remedium.
54. Quando ex uno facto plura competunt iuris remedia ad eandem rem, tunc unum tollit & abſordet aliud.
55. Reſpondetur ad argumenta illorum, qui exiſtimant, quod retorſione non aboleatur iniuriarum actio.
56. Per retorſionem non modò regeritur iniuria in iniuriatorem, ſed & iniuriatus oneratur, & affligitur graviori iniuriâ.
57. Cumulatio actionis iniuriarum æſtimatoriæ & recantatoriæ non ex ſcripto jure, ſed conſuetudine pendet.
58. Nova jura ſtrictè ſunt accipienda, non extendenda.

Digitized by Google

59. Retorſio non eſt rei vel pecuniariæ pœnæ perſecutio.
60. Pœna eſt quædam ipſa recantatio, ſive palinodia.
61. Retorſio eſt pæna quædam inferentis injuriam.
62. Retorſionis remedium jure pandectarum permiſſum eſt.
63. Lubrico linguæ iniuriarum qui intulit alicui, non eſt condemnandus ad recantationem.

1 EX famoſo obligatur libello primum authoreius, qui illum compoſuit, *l. Lex cornelia 5. §. Si quis librum, 9. ff. de injur. & l. un. ibi, quaſi autorem, Cod. de famoſ. libell.*

2 Secundò qui ab alio compoſitum ſcripſit, id eſt, deſcripſit, *d. l. 5. §. Si quis, ff. de injur.*

3 Tertiò qui ab alio vel ſcriptum, vel compoſitum edidit, *d. l. 5. §. 9. ibi, ediderit, ff. de injur.*

4 Nec refert, manu tantum ſcriptus, vel typis excuſus edatur, & publicetur. Nam & Typographi qui excuderunt famoſos libellos ad pœnam eorum nomine obligantur, uti arguit receſſus Imperii, quos citavi ſuprà.

5 Quartò qui mandavit, ſive juſſit, ut vel ſcriberetur, componeretur, vel ederetur famoſus libellus, *d. l. 5. §. Si quis librum 9.*

ibi,

Digitized by Google

ibi, dolovè malo fecerit, quo quid eorum fieret, ff. d. t.

Quintò qui aliquo loco, puta ad valvas vſpiam affixum, aut in platea alicubi poſitum, reperit, ſive invenit famoſum libellum, nec eum confeſtim corrupit, vel igni conſumpſit, ſed vim eius manifeſtavit, hoc eſt, in publicum protulit, vel legendo, vel ſententiam eius exponendo aliis, *dict. l. un. in princ. Cod. de fam. libell. & can. ult. in fin. 5. quæſt. 1. Menoch. libr. 2. de arbitr. jud. cent. 3. caſu 263. numero 36. & 38.* 6

Hinc ſextò & ille ex famoſo obligatur libello, qui vendit eum, vel emit, aut vendendum, emendumvé curat, *d. l. 5. §. Eademque pœna 10. ff. de injur.* Reichs abſcheid de quibus ſuprà cap. 1. & Reichsabſchid zu Erffurt / de anno 1567. §. Demnach ferner / mihi pag. 303. & Receſſus Imperii Francofurtenſis de anno 1577. Tit. 35. 7

Septimò qui famoſam cantilinam à ſe vel ab alio compoſitam, publicè, puta in foro, aut plateatim cantat, Jul. Paul. *lib. 5. receptar. ſentent. Tit. 4. §. Pſalterium.* 8

Octavò, qui libellum famoſum fabricavit licet eum ipſemet non publicaverit; alius autem caſu inventum eum libellum manifeſtaverit. Cum enim cauſam præſtiterit infamandi 9

mandi aliquem, ipſemet eum infamaſſe dicitur, *per text. in l. Nihil, 15 ff. ad leg. Cornel. de ſicar. in l. Qui occidit, 30 §. In hac quoque, ff. ad leg. Aquil. & in l 4. §. Sed etſi ſi quis, ff. vi bonor. raptor.* Et ſibi meritò imputabit, quod ipſum libellum à ſe compoſitum vel non confeſtim corruperit, vel non diligenter aſſervaverit. Ex hoc enim conjicitur ſua voluntate ab alio publicatum eſſe libellum, Menoch. *lib. 2. de arbitr. jud cent. 3. caſ 263. num 36.* Et quæ ipſius fuit voluntas in componendo famoſo libello, eadem quoque permanſiſſe intelligitur in eo negligenter retinendo; Cum voluntas mutata non præſumatur, *l. Eum qui 22. ff. de probat. l. Non ad ea, 89. & ibi gl. in verb. Præſens, ff. de condit. & demonſtrat. & l. Sancimus 27. C. de teſtament. c. licet, Tit de procurat. in 6.*

10 Non aliter taman ex famoſo obligatur libello prædictorum aliquis, quàm ſi quid eiuſmodi dolo fecerit, ut expoſui ſupra capit. 1.

11 Sed quæſtio anceps eſt, obligeturné ad pœnam qui famoſo in libello verum alicui crimen objecit? Negativæ concluſioni adſiſtere videtur text. *in l. Eum qui, 18. in prin. ff. de injur.* Ubi Paul. Juriſconſultus eum, ait, qui nocentem infamavit, non eſſe bonum æquum ob eam rem condemnari. Peccata enim nocentium nota eſſe & oportere, & expe-

expedire. Conſonat textus *in l Si non convicii 5. C. d. t. de in ur.* Ubi Dioclet. & Maximian. Impp. ſi, aiunt, non convicii conſilio te aliquid injurioſum dixiſſe probare potes, FIDES VERI à calumnia te defendet. Eodem pertinere videtur textus *in l. 3 C. de offic. Rectoris provinc.* Ubi Conſtantin. Imp. Omnibus concedit poteſtatem injuſtos & maleficos publicè indicandi. Denique Valentinian. & Valens Impp. *in l un verſ. Sin verò. C. de famoſ libell* reſcripſerunt, capitali pœna eum plecti debere, qui non probat crimen, de quo aliquem infamavit. Ex contrario igitur dicendum videtur, impunitatem merere eum, qui verum criminis reum libello famoſo prodidit.

Aienti verò opinioni patrocinatur text. *in l 3. C Quædam teſtamenta aper.* Ubi ea teſtamenti pars, quæ ad ignominiam alicuius pertinet, aperiri prohibetur.

Valentinianus quoque & Valens. Impp. *in l. Quisquis 6. § 1. C de poſtuland.* advocatis licentia conviciandi & maledicendi prorſus interdicunt.

Conſtantinus item Imp. *in l. 1. C. Theodoſ. de famoſ. libell.* expreſſè definit, autorem famoſi libelli non eſſe ſubtrahendum ſupplicio, etiamſi probaverit infamati crimen.

Adhæc text. *in l. un. verſ. Sanè ſi quis, C de famoſ. libell.* Haud obſcurè arguit, ex famoſo libel-

libello teneri, etiamſi verum in eo objecerit alicui crimen; quippe cum ibi dicatur, ſi quiſquam, manifeſtare velit crimen cuiuſquam, proprio id ore, non famoſo libello facere debeat.

Denique probatur idem pronunciatum text. *dict. artic. 110. in ord. crim. his verb.* Und ob ſich auch gleichwol die auffgelegte Schmach der zugemeſſner That in der Warheit erfunde / ſoll deñoch der außruffer ſolcher Schmach nach vermögen der Recht geſtrafft werden.

12 Hæc textuum varietas in varias quoque ſententias diſtraxit Dd. noſtros. Petr. & Cyn. *in d. l. un. C. de famoſ. libel.* tum etiam Angel. *in l. Lex Cornelia 5. §. Si quis librum, ff. de injur.* & Sylveſter Pierius *in ſumma, in verb. libellus*, & hos ſequutus Joannes Baptiſta de Plotis, *conſil. 131. Tomo 1. conſilior. crim. à Ioan. Baptiſta Ziletto congeſtorum* & Andr. Fachinæ. *lib. 9. controverſiar. jur. cap. x1.* exiſtimant, eum, qui famoſo libello verum alicui crimen objecit, quod publicè expediat notum eſſe, non teneri pœna famoſi libelli, *per text. in d. l. Eum qui in verb. Infamavit, ff. d. t.*

Didac. verò Covar. *lib. 1. variar. reſolut. cap. x1. nu. 7. verſ ſecundo eadem ratione*, Anton. Gomez. *Tomo 3. comment. c. 6. nu. 1. ibi, modò dicat verũ non falſum*, Petr. Heig. *quæſt. 31. nu. 41. part. 2. quæſt. jur.* aientem amplectuntur ſententiam ut & Mynſing. *cent. 4. obſer-*

obſervat. 4. Ubi in Camera ita indicatum eſſe atteſtatur.

Eſt & tertia ſententia Joannis Roberti *lib. 2. ſententiar. jur. cap. 7. ſub. lit. E.* Ubi diſtinguit inter libellum, qui & verum comprehendit crimen, & ab eo ſcriptus eſt, qui publicæ ſalutis curam gerens, ſuum nomen in eo profeſſus, & verum oſtendere paratus eſt: & eum, qui licet verum objecit crimen, nomen tamen ſuum non eſt profeſſus in ipſo libello, nec obtulit ſe ad probandum crimen illud.

Cæterum nulli harum opinionum præbere meum aſſenſum auſim ego. Primam enim quod attinet opinionem manifeſti ea arguitur erroris ex clariſſimo textu *in d. artic. 110 verſ.* Vnd ob ſich auch ꝛc. in ordinat. crim. ut text. *l. un. §. Sane ſi quis, C. de famoſ. libell. & l. 1. C. Theodoſ. Tit. eod.*

Secundam verò opinionem ſimpliciter conceptam reſpuit text. *in d. l. Eum qui nocentem, 15. ff. de injur.* Ubi notanda eſt diligenter ratio ibi adjecta hæc ſcilicet: Peccata enim nocentium nota eſſe, & oportere, & expedire.

Tertiam opinionem improbat text. *in d. l. un. verſ. ſanè, ibi, abſq; ulla trepidatione accedat, C. de famoſ. libell.* Ad magiſtratum accedere debet, qui criminis authorem indicare vult, non alibi eundem infamare.

Ego

13 Ego autem diſtinguendum judico inter eum libellum famoſum, quo eius author & nomen ſuum profeſſus eſt, & verum indicavit alicuius crimen, non dum magiſtratui cognitum, & ipſum libellum ad nullum alium, quam magiſtratum direxit competentem: & eum famoſum libellum, qui non eſt directus ad competentem magiſtratum, licet verum contineat crimen, licet item autoris nomen additum habeat. Ex illo libello pœnam non eſſe imponendam; ex hoc inferendum eſſe ſupplicium autumo, per textum *in d. l. un. verſ. Sanè ſi quis, Cod. de famoſ. libell. junct. l. Eum qui nocentem 18. in prin. ff. de injur.*

14 Sola criminis veritas non eximit aliquem de pœna famoſi libelli, etiamſi expediat Reipub. crimen illud manifeſtari, ſi libellus ille non competenti Magiſtratui detur, ſed aliis legendus exhibeatur, aut publicè alicubi affigatur, ut evincitur *ex d. l. un. verſ. Sanè ſi quis, C. de famoſ. libell.* Ubi Impp. Valentinian. & Valens, ſine ulla, aiunt, trepidatione accedat, Id eſt, adeat magiſtratum, & ei criminis commiſſi autorem indicet, non cuiquam alii revelet cuiuſquam crimen, ut abundè oſtendit principium eiuſdem legis, ibi, *nulli confiteatur*, item ibi, *ſed vim earum manifeſtaverit.*

Vide-

Videtur quidem textus idem & illud exigere, ut quis ore proprio, non per libellum famoſum magiſtratui exponat, quis crimen aliquod commiſerit, his verbis: *quæ per famoſum libellum perſequenda putaverit, ore proprio edicat.* Verum non omnino rejiciunt Impp. hoc enunciato libellum, & præcisè oralem indicationem requirunt; ſed per libellum famoſum, quem hic opponunt indicationi orali, ſignificant libellum famoſum, qui in publicum profertur, & legendus exhibetur aliis, non magiſtratui porrigitur, ut ſequentia arguunt verba: *atq; ulla trepidatione accedat*, juncto principio eiuſdem legis, ibi, *ſive domi, ſive in publico, vel quocunque loco.* 15

Quod ſi Impp. pręcisè indicationem deſiderarent oralem, ſequeretur inde abſurdum illud, quod mutus, literarum peritus, id eſt, ſcribere qui poteſt, prohibeatur per libellum criminis cuiuſdam obſcurum autorem magiſtratui ſuo indicare. Et quia intereſt Reipubl. nocentis peccatum magiſtratui eſſe notum, *d. l Eum qui, 18 in prin. ff. de injur.* perinde eſt, ſive literis, ſive ore deferatur ad magiſtratum criminis author.

Quis autem ſenſus ſit in d. l. Eum qui, propoſitionis huius: *Eum qui nocentem infamavit, non eſt bonum æquum, ob eam rem condemnari*, explicatu difficile videtur. Boer. *conſil. 4.* 16

d *num.*

num. *19.32. & ſeqq.* ſeptem refert opiniones de iſthoc textu. Didac. Covar. item latè in ſententiam pronunciati illius inquirit, *lib.1. Variar. reſolut. cap. xi. num. 6. &. 7.* De eadem etiam aguntOldrad. *conſil.53.* Wurmſer. *lib. pract. obſer. Tit. 46. obſer. 6.* Joan. Coraſ. *lib. 6. Miſcel. capit. 24.* Gomez. *Tomo 3. commentar. cap. 5. num. 2* Joachim. à Beuſt. *in l. Nampoſteaquam §. Si damnatur, cap. Quæ ſit pœna ſcribentis famoſum libellum, pag. 177. ff. de jurjurand.* Schrad. *conſil. 40. num. 77. verſ. Nemo ſub Tomo 1. conſilior. Iuriſconſultorum Germaniæ,* Joan Robert. *Aurel. lib. 2. cap. 7. & Tractat. fallentiar. in lit. v. Reg. 784.* Andr. Gayl. *lib. 2. obſer. 99.* Mynſing. *cent. 4. obſer. 4.* Villalob. *in communibus opinionibus in verb. Actio injuriar. numer 2.* Jul. Clar. *in §. Injuria verſ Item quæro,* & Matthias Coler. *de proceſſ. exeunt. partic. 1. capit 8. numer. 79.* Bronhorſt *cent. 4.* ἐναντιοφανῶν, *aſſertione 77.* & Fachinæ. *lib. 9. controverſ. jur. cap. extra.*

In ea autem ſententia Dd. eſſe communiter reperio, textum *in d. l. Eum qui 18. in prin. ff. de injur.* exaudiendum eſſe de eo, qui infamat aliquem de crimine vero, non omni tamen, ſed eo duntaxat, quod ut vulgò notum ſit, Reipub. intereſt. At quia omne crimen, ut vulgò notum ſit, Reipub. intereſt, ut patet ex ratione generali ſubjecta *in d. l. Eum*

qui,

qui. in prin. ff. d. t. per omnia probari hæc explicatio non poteſt.

Arbitror autem apud Paulum Juriſconſultum duo cumprimis conſideranda eſſe; unum eſt, quid verbo infamare ſignificetur; alterum, de quo crimine accipi ipſius Juriſconſulti ſententiam conveniat.

Verbum autem infamare Paulo Juriſconſulto nihil aliud ſignificat, quam manifeſtum & notum facere, ut adpoſita ibi ratio ſatis ſuperq; innuit, quæ hęc eſt; Peccata enim nocentium nota eſſe, & oportet, & expedit. De eo igitur loquitur crimine Paulus; ꝙ antea obſcurum fuit, vel ſi notum fuit, autor tamen eius fuit incertus; ut ſimiliter adducta ibi ratio in verbo, *Nota eſſe*, apertè oſtendit. Sententia ergo enunciati illius hæc eſt; Is qui nocentem infamat, hoc eſt; qui criminis cuiuſdam authorem antea obſcurum, & incertum oſtendit, indicat, & manifeſtum facit; condemnari ob eam rem non debet.

Quod ſi Juriſconſulto Paulo *infamare* idem eſſet, quod *injuria afficere*, inepta meritò diceretur adpoſita ratio, ut quæ non eſt de injuria inferenda; ſed de peccatis, ſive criminibus nocentiũ manifeſtandis. Ut ergo rationi quæſtio reſpondeat, intelligi in ea infamare verbum ita debet, ut accipiatur prò notum facere, indicare, manifeſtare: Alioqui enim nihil cõmune haberet cũ quæſtione ibi

propoſita,& ineptè ita argumentatio inſtitueretur. Expedit & intereſt Reipubl. peccata nocentium nota eſſe: Ergo poteſt aliquis reum criminis publicè injuria afficere, nec eſt ob eam rem condemnandus. Sed ex prædicta ratione ita eſſet inferendum, & concludendum: Ergo qui nocentem, id eſt, criminis cuiuſdam auctorem publicè indicat, ob id condemnari non debet: cum pœna afficiendus non ſit, qui facit, quod publicè expedit, ſive quod utile eſt Reipubl.

Sed dicere hic quiſpiam poſſet, qui criminis reum publicè indicat, is eundem quoque ſimul injuria afficit. Siquidem cuiuſque facti ignominioſi obiectio, præſumptionem indicet animi injurioſi, ut ſupra ca. 1. dixi Verum quia hic non agimus de eo, qui alicui crimen quoddam objicit, ſed qui flagitium, quod quis verè admiſit, & antea incognitum fuit, ſaltem detegit, ſalutis publicæ cauſa, & abſq; dolo id facere præſumitur. Cum etiam ſola credulitas rectum faciendi, & alia quævis non injuſta cauſa à dolo excuſet, ut poſt alios, quos citant, in hac materia de famoſis libellis, ſcribunt Joannes Baptiſta de Plotis *conſil. 131. num. 6. 7. & 12. Tom. 1. conſilior. criminalium à Ioanne Baptiſta Ziletto congeſtorum*, & Franciſc. Burſat. *conſil. 49. numer. 13.*

Eo

Eo quoque magis à dolo alienus præſumi hic debet, ſi bonæ ſit famæ, vitæ, & conditionis, per tradita Salic. *in l. 1. ff. ad leg. cornel. de Sicar.* & eci. *conſil. 175. 179. 266. &c. num. 8.* Cæpol. *conſil. crimin. 22. numer. 5.* Cravet. *conſil. 151. num. 20. 244. num. 6.* Roland. à Valle *conſil. 45. num. 44. & conſil. 37. num. 35. & 38. vol. 1.*

Nihil huic refragatur concluſioni, quod ex famoſo tenetur libello etiam ille, qui verum de aliquo crimen per ipſum propalavit libellum, ut ſuprà docui, eodem hoc capite. Nam hic differentia conſtituenda eſt inter famoſum libellum, & injuriam, verbis ore prolatis impoſitam, ut non modò ſentit *gl. in d. l. Eum qui nocentem 18. in prin. ff. de injur.* Sed evincitur etiam ex eo, quòd major eſt pœna famoſi libelli, quam alterius injuriæ verbalis, *d. l. un. C. de famoſ. libell. & artic. 110. ordinationis criminal.*

Famoſus libellus non modò quâvis injuriâ aliâ acerbior eſt, & atrocior, cum animo deliberato concipiatur, ſed etiam multò perniciosior; ut quæ continuâ premit aliquem injuriâ. Vox etenim audita perit, ſed litera ſcripta manet. Unde rectè Damhaud. *in praxi rerum criminal. cap. 138. nu. 2.* ſcribit, quod famoſus libellus quovis ferro nocentior ſit, & aſpide quovis formidoloſior. 17

In dubium vocari & illud reperio, an pœna teneatur famoſi libelli, qui eum alicubi repertum & lectum à ſe, non quidem manifeſtavit, nec publicavit, ſed tantum ſecretò legendum alicui tradidit? Et licet affirmativè decidenda videatur hæc quæſtio, per text. *in d. l. un. ibi, Aut nulli conſiceatur inventum, C. de famoſſ. libell. & l. 2. ibi, Nemini deniq; referat, quid legendo cognoverit. Nam quicunque obtulerit inventum, certum eſt ipſum reum ex lege retinendum Cod. Theod. ead. tit.* Burſatus tamen negativæ patrocinari nihil dubitat, *conſil. 94. num. 17. & aliquot ſeqq. & nu. 33. in fin.*

Amplectitur eandem hanc ſententiam etiam Placa *lib 1. Epit. delictor. cap. 3. num 2.* Sylveſter Pierius *in Summa, in verb. Libellus, circa finem* & Cephal. *conſil. 341.*

Burſatus hoc levi admodum argumento motus fuit, quod caſu tantum, & fortuitò id evenerit, occaſione ſcilicet novitatis aliquid proferendi, & audiendi, juxta omnium perſonarum commune deſiderium, & votum. Proindeque ceſſare hic pœnam famoſi libelli, ut quæ animum injuriandi, ac dolum deſideret, *d. l. Lex Cornelia §. Si quis 9. ff. de injur. l. Si non convicii 5. C. d. t.* Delictum verò quod caſu, & improviſò occurrit, non ſit in conſideratione ponendum, nec puniendum, Abb. *conſil. 92. in fin. col. ult. vol.* Tiraquel. *de pœ-*

de pœnis temp. aut remittend. cauſa 13. num. 5. Juvat hanc negantem opicionem textus in can. ult. ibi, ſed vim earum (ſcilicet chartularum) doloſè manifeſtaverit, *5. quæſt. 1.*

Eatenus tamen huic ſubſcribo ſententiæ ut eam procedere exiſtimem, ſi lectus ab alio libellus ille confeſtim conburatur, aut dilaceretur. Hoc enim facto liber à dolo perſumitur, qui eum libellum ſecretò legendum alii exhibuit.

Eſt & illud non contemnendæ queſtionis, ſitné plectendus famoſi libelli pœnâ, qui repertum aliquo loco famoſum libellum legit, & alii ſimiliter legendum exhibuit, qui quidem legere etiam eundem cæpit, ſed antequam legendo abſolviſſet, pœnitentia ductus, è manibus ipſius excuſſit? Neganti opinioni fundamentum eſt poſitum *in text. l. Qui falſam 19. in prin. ff. de lege Cornel. de falſ.* quo facit etiam argumentum *l. Cum ſilanianum, 11. in fin. C. de his, quib. ut indig.* & confirmat eandem opinionem præjudicium in cauſa veneni, de qua Grammatic. *deciſ. 2. num. 8.* & quæ copioſè ſcripſit Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. in §. fin. quæſt. 92. in prin.* & Menoch. *de arbitr. jud. caſu 360. num. 10.* In terminis quoque hanc defendit opinionem Burſat. *dict. conſil. 94. numer. 30. & duob. ſeqq.*

Digitized by Google

Verum enumverò, ſi alius ille in libelli famoſi lectione eò uſque pervenerit, ut cognoverit inde, quod & quale crimen objiciatur alicui, reor planè, inventorem libelli nō omnino liberum à pœna pronunciandum, *arg. l. 1. in fin. ff. de extraord. criminib. junct. d. l. un. ibi, aut nulli confiteatur inventum, C. de famoſ. libell.*

20 Dubiæ quæſtionis & illud eſt, an teneatur pœna famoſi libelli, qui ab alio compoſitum eiuſmodi libellum, nactus eum manifeſtavit, paratus demonſtrare autorem? Negat Jacob. Butrigar. *in d. l. un. C. h. t. n.* & Burſat. *dict. conſil. 94. num. 32.* & Joan. Cephal. *d. conſil. 341. num. 30.* Ait verò Salicet. *in l. un. C. d. t.* Joan. Schneid *in §. Injuria autem, numer. 5. Inſtit. de injur.* tum etiam Everhard. Speckhan. *cent. 2 quæſtion iur. claſſ 3. quæſt. 7 nu. 11.* Atque horum opinionem non judico improbabilem. Tum quia qui pandit, & propalat ab alio fabricatum famoſum libellum, plus peccat, quam ipſemet compoſitor. Tum etiam quia inventor famoſi libelli, niſi eum confeſtim comburat, aut inventum conticeat, & de eo planè ſileat pœnam famoſi libelli ſubire cogitur, per text. in hac leg. noſtra, & l 2. C. Theodoſ. eod. tit. Tum quia non ignarus qui utitur inſtrumento falſo, plectitur falſi pœna, etiamſi alius inſtrumenti illius fabricator ſit, *l. Si falſos 8. C. ad leg. Cornel de*

falſ.

falſ. Tum item quia niſi inventor famoſi libelli eum manifeſtaſſet, diffamati injuria celata fuiſſet. Tum quia licet famoſi libelli cōpoſitor oſtendat, verum eſſe crimen quod objecit, plectitur tamen famoſi libelli pœna, *d. l. un. C. h. t. n.* Eâdem ergo tenetur pœnâ & ille, qui manifeſtat famoſum libellū, licet paratus ſit autorem eius oſtendere. Tum etiam quia ſocius criminis non manet impunitus, licet facinoris eiuſdem ſocium prodat, ſed eadem in utrumque pœna convertitur *l. utrum 6. ff. ad leg. Pomp. de Parricid. & ult. verſ. Nemo tamen C. de accuſat.* Tum poſtremò, quia æquali ſubduntur animadverſioni, qui cauſam crimini dedit, & qui crimen perfecit, *l. Nihil intereſt 15. ff. ad leg. Cornel. de ſicariis, l. Ita vulneratus 51. ff. ad leg. Aquil. & l. un. verſ. His quoque Cod. de crimine peculat.*

Non imminuit hanc concluſionem textus *in l. Maiorem 4. C. ad leg. Cornel. de falſis,* ubi Alexand. Imp. reſcribit, quod liber ſit à pœna falſi, qui deceptus falſo inſtrumento uſus eſt, modò eum exhibeat, à quo illud accepit. Alia etenim condicio eſt illius, qui per alium deceptus inſtrumento falſo uſus eſt: alia item eius, qui famoſum manifeſtavit libellum. Ille etenim neſcire potuit falſum eſſe inſtrumentum, cum falſitatis ſigna extrinſecus non pateant: Hic verò ex ipſa lectione li-

 belli

belli cognoſcere potuit, eum famoſum eſſe.

Neque etiam refragatur textus *in l. 2. verſ. Nam quicunque C. Theod. de famoſ. libell.* cuius verba hæc ſunt: Nam quicunque obtulerit inventum, certum eſt ipſum reum ex lege retinendum, niſi prodiderit autorem. Exaudienda etenim hæc lex eſt non de eo, qui famoſum libellum à ſe inventum palàm oſtendit, & propalavit; (De eo quippe agitur verbis ſequentibus, his ſcilicet: Nec evaſurum pœnam, huiuſmodi criminibus conſtitutam, ſi proditus fuerit cuiquam retuliſſe) ſed de eo, qui obtulit quidem inventum, nec tamen eum cuiquam legendum exhibuit, aut vim ejus retulit.

21 Ab aliquibus & hæc movetur quæſtio: an teneatur famoſi libelli ordinaria pœna, qui eum quidem compoſuit, & alicubi affixit, affixum tamen, antequam publicatus fuerit, pœnitentiâ ductus refixit, & corrupit? Atque hanc quæſtionem negativè decidunt, & expediunt, *arg. l. Qui falſam 19. ff. ad leg. Cornel. de falſ. l. 1. C. de crim. ſtellionat. l. 3. ff. de his, qui not. infam. & l. Manichæos 4. §. Sed nec filios, C. de hæret.*

Verumenimverò quæſtio hæc planè marks ocioſa eſt de propoſito caſu, quo non fuit à quoquam detectum hoc compoſitoris factum; cum nemo ſcrire poſſit, compoſitum fuiſſe, & affixum eum libellum. Quod ſi autem factum

ctum illud percrebuit, & divulgatũ fuit, cur non plecteretur famoſi libelli ordinaria pœna autor facti illius? cum de compoſitione, & publicatione conſtet. Sola certè pœnitentia eum à pœna eximere non debet, cum res amplius integra non ſit, *l. Qui ea mente 65. ff. de furt. & l. pen. ff. vi bonor. rapt. & l. Item apud 15. §. 1. ff. d. injur.*

22 Idem mihi judicium eſt de caſu, quo quis famoſum libellum fabricavit, at non manifeſtavit, ſed confeſtim corrupit. Qua tamen in quæſtione Menoch. *da arb. jud. lib. 2. cent. 3. caſu 263. num. 36.* concludit nullam pœnam huic compoſitori eſſe infligendam: quem ſequitur Dominus Collega D. Harpprecht *ad Tit. inſtit. de injur §. 1. numer. 171.* At ſi innotuit, & percrebuit in alicuius infamiam à certo quodam homine libellum famoſum eſſe ſcriptum, non video, cur liber à pœna eſſe deberet autor: quippe cum & de compoſitione, & divulgatione inter homines jam conſtet.

Non eſt omittenda hìc quæſtio illa, ſitnè famoſus libellus, aliavé injuria aliqua, ſi pars litigans adverſæ parti, aut eius teſti, judiciali quodam ſcripto (productũ vocant practici) verum aliquod crimen objiciat? Quæſtio autem hæc diſtinctione expediri poteſt, quæ hæc eſt; Criminis objectio illa vel ex juſta ſit cauſa, vel abſque cauſa juſta. Juſta cauſa eſt, ſi ad

ſi ad utilitatem negocii, de quo in judicio agitur, objiciatur: ut ſi litigator adverſæ parti objiciat crimen, ob quod ſtare in judicio non poteſt; puta ſi Reus in vim exceptionis objiciat actori, quòd ſit bannitus fractæ pacis publicæ, aut alterius criminis nomine, aut quod ob maleficium aliquod ſit ex communicatus. Cum enim bannitus legitimam in judicio ſtandi perſonam ut actor non habeat, *Vant. Tractat. de nullitatib. Rubr. de nullitate ſententiæ ex defectu inhabilitatis, num 51. pag. 434. & ſeqq.* Fürſtl. Würtemb. Landsrecht / *Tit.* von Perſonen die alß vnteuglich im Rechten zuſtehn nicht zugelaſſen werden / *in prin. pag. 72.* Neque etiam excõmunicatus, *c. Per tuas 7. ubi Cujac. extra de ſentent. excommunicat. c. 2. c. Inter 5. §. ult. extra de except.* Juſta item ex cauſa, & ad negocii utilitatem opprobrium illud fieri patet, quo aduerſæ parti ad juramentum ſe offerenti objicitur, quod fur ſit, vel adulter; ſiquidem hi, ut perſonę infames ad juramenti pręſtationem non facilè admittantur, eò quod ſanctum non debeat dari canibus, nec margarita porcis projici, *Matth. 7. & Can. Nolite recedere, & can. ſeq. xi. quæſt. 3.*

Ad negocii quoque utilitatem objicitur teſti, quòd ob crimen aliquod publico judicio damnatus, vel ſaltem reus eo judicio fuerit. Hic enim ut homo infamis produci, &

exa-

examinari teſtis non poteſt, *l. 3. § lege 5. l. Si ſcio 14. & l. ſeq. l. In teſtimonium 20. ff. de teſtib. c. ult. extra eodem tit.* ut nec quilibet alius infamis; *Novel 90. cap. 1. d. l 3. in prin. verſ. & an honeſtæ, ff. de teſtib. c. Teſtimonium 54. §. 1. extra eod. t.*

Quod ſi huius modi aliqua ex cauſa, atque ita ad negocii judicialis utilitatem producto quodam objiciatur vel parti litiganti, vel teſti crimen aliquod, non facit opprobrium hoc teneri litigatorem pænâ famoſi libelli, aut alterius injuriæ pœnâ, modò objectum crimen manifeſtum ſit, aut verum eſſe probetur, ut ſentit non modo Didac. Covar. *lib. variar. roſolut. cap. xi. num. 6. & 7.* ſed & evincitur ex *l. Siquidem 10. ibi, ac tunc demum, ſi non eſſe ſerve fuerit pronunciata, junctis verbis, injuriarum actione conveniri poteſt, C. de injur. & l. Si tibi, 31. ibi, vel de injuria poſteaquam ſervus non eſſe fueris pronunciatus, C. de liberali cauſ.* Ex quibus locis à contrario ſenſu ducto argumento intelligitur, non teneri injuriarum actione, qui ignominiam objectam in judicio probavit, & propter præſtitam probationem adverſarius ſuccubuit.

Confert eodem, quod ex famoſo libello, aut alia injuria nemo tenetur, niſi de eius dolo & animo injuriandi conſtet, *d. l. Lex Cornelia* 25

Digitized by Google

nelia 5. §. Si quis librum 9. ff. de injur. & l. Si non conviciis, 5 C. de injur.

26 Unde animus injuriandi dicitur fundamentum & ſubſtantia injuriæ, *Henning Goeden. conſil. 31. num. 11. & conſil. 106. num. 27. Mynſing. Reſp. 51. num. 11. decad. 6. & Reſp. 74. nu. 6. decad. 7.*

Dicitur item ſubſtantiale requiſitum actionis injuriarum, Andr. Gayl. *lib. 2. obſervat. practic. obſer. 99. nu. 5.*

Sed qui in judicio ad cauſæ ſuæ utilitatem vel adverſæ parti ſuæ, vel eius teſti, ad eum repellendum objicit ignominioſum aliquid, excuſatur à dolo, & injuriandi animo: ſiquidem quælibet cauſa à dolo, qui non præſumitur, excuſet, ut ſupra dixi.

27 Denique poſt alios etiam Mynſing. *cent. 4. obſervat 4. in fin. verſ. Quod ſi eadem*, & Andr. Gayl. *lib. 2. obſer. 101. num. 7.* diſertè ſcribit, quod objectio veri criminis juſta ex cauſa facta, puta exigente utilitate negocii, quod tractatur in judicio, præſumatur non injuriandi animo, ſed ex eadem illa cauſa cõtigiſſe; proindeque obtrectatorem injuriarum non teneri.

28 Quod ſi ergo maritus ab uxore conventus pro dote, vel donatione propter nuptias, contendat ſe ei nihil debere, eò, quod impudicè vixerit ipſa, hoc opprobrium in vim exceptionis objectum, cum ad cauſę utilitatem pertineat, eximit maritum à pœna famoſi li-

belli, & alius etiam injuriæ; modò exceptio hæc probetur à marito, id eſt verum oſtendat maritus, quod objicit. Siquidem uxor donationem propter nuptias amittat, impudicam ſi egerit vitam; *c. plerumque, ubi Canoniſtæ extra de donat. inter Vir & uxor. Novell. 117. cap. 8. Arnold. de Reyger. in Theſauro juris cap. de donat. propter nuptias, pag. 509. & ſeq.*

Cęterum quia nonnulli, in quorum numero eſt etiam Fachinæ. *lib. 9. controverſ. jur ca. 13.* contra receptam Dd. ſententiam exiſtimant exprobationem in judicio factam adverſario, vel teſti, non obligare exprobrantem ad ullam injuriarum pœnam, etiamſi nō probet veritatem objecti criminis, diſpiciemus, quæ vis ſit rationum, quibus hanc munire ſtudent opinionem. 29

Adducunt *l. Si quis 12. ff. de injur jur. l. Deferre 18 §. l. Sed communem 7. & l. Delator 44. ff. de jure fiſci, l. ult. ff. Quod quisque jur. l. Nulla 3 C. de delatorib lib. 10. l. Qui cum natu, 14. §. Si patris ff. de bonis libertor. l. Qui ex libertate 26 ff. de liberal. cauſ. l. Si libertus, ff. de in jur. vocand.* Sed nihil roboris adferunt negatę opinioni leges modò citatæ, quamvis Fachinæus dicto loco tribus primis legibus difficilem eſſe reſponſionem cum Oldrado arbitretur.

Quod attinet reſponſum Gaii Juriſconſulti *in l. Si quis 12. ff. de injur.* duplex id habet 30

axio-

axioma prius regulam continens, eſt eiuſmodi: Qui de libertate aliquem in ſervitutem petit, quem ſcit liberum eſſe, injuriarum actione tenetur. Poſterius, regulæ eiuſdem exceptionem continens, eſt hoc: Qui de libertate emptum liberum hominem petit in ſervitutem, quem ſcit hominem eſſe liberum ea tamen voluntate cum petit, ut evictionem ſibi conſervet, non tenetur actione injuriarum: quæ ſententia proponitur etiam ab eodem Gajo Juriſconſulto *in l. Qui ex libertate 26. ff. de liberal. cauſ.*

Verum hoc poſterius Juriſconſulti reſpōſum communem Doctorum opinionem infringere videtur. Eſt enim de eo, qui, licet in judicio ad negocii utilitatem ſervitutis conditionem falsò objiciat adverſario ſuo homini libero, actione tamen injuriarum non tenetur. Ratio autem huius pronunciati hæc eſt, quod dolo caret, qui hominem liberum pro ſervo emptum, de libertate in ſervitutem petit, ut ſignificat Paul. Juriſconſultus *in l. Adquin. 19. §. Cum me abſente 3. ff. de negoc. geſt.* & idem Gajus Juriſconſultus *in l. Si quis libertum 30. ff. de bonis libertor.*

In. d. l. Deferre 18. §. Sed communem 7. & d. l. Delator 44. ff. de jur. fiſci, dicitur non eſſe famoſum, qui cauſam ſibi cum fiſco cōmunem, defert, id eſt, ad fiſcum nunciat, licet

in

in ſua cauſa non obtinuerit. Verum hoc caſu à dolo excuſat deferentem cauſę cõmunitas, in ſua licet non obtineat cauſa delator; quia tamen obtinet in cauſa fiſci, quam juſtè detulit, excuſatur à dolo.

Quod verò ad reliquas leges, *puta l ult. ff. Quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, l. Nulla 3. C. de dilatorib. lib. 10. l. Qui cum natu 14 §. Si patris, ff. de bonis libertor. & l. Si libertus 12. ff. de injur. vocant.* earum ſententia alieniſſima eſt à noſtra quæſtione, ut cernere quilibet poteſt, abſque mea operâ.

Cæterum ſi aliquis litigatorum in judicio objiciat adverſario, aut eius teſti crimen verum abſque cauſa, ut ſi eum convitiis, aliiſque maledictis in ſuo producto præter cauſæ, de qua lis eſt, utilitatem, inſectetur, pœnæ famoſi libelli, aut alterius injuriæ locus eſſe poteſt, *per text. in l. Quisquis 6. §. 1. ibi, Non ultra, quam litium poſcit utilitas, in licentiam conviciandi, & maledicendi temeritatem prorumpant. Agant, quod cauſa diſiderat, temperent ſe ab injuria, C. de poſtuland. l. Si quis 12. ff. de injur.* & ſentit ita Didac. Covar. *dict. lib. 1. Var. reſolut. cap. xi. num. 7. verſ. Tertium apparet*, & Mynſing. *dict. obſerv. 4. in fin.* 31

Expedit quoque hoc loco exponere, num injuriâ affectus in judicio, confeſtim ex ea poſſit agere pendente adhuc lite principali, 32

an verò differre querelam, & actionem ſuam debeat donec cauſa principalis deciſa ſit? Poſterius autem & juri conſonum, *d. l. Siquidem 10. C. de injur. & d. l. Si tibi, 31. C. de liberali cauſ* & *Dd.* votis comprobatum, Joan. Faber. *in* §. *Injuria, num. 2. verſ. Cave autem inſtitut. de injur.* Abb *in c. ult. extra d. t.* Henning. Gœden. *conſil. 30. numer. 15.* & in praxi receptum eſt, ut ipſemet crebrò animadverti, & arguunt præjudicia Cameralia, edita anno 1601. in verb. Injuria, verſ. Injuriatus. Utile tamen eſt proteſtationem fieri de vindicanda poſtmodum illa injuria, ne diſſimulatione remiſſa videatur, §. *ult. Inſtit. de injur.*

33 Poteſt autem de huiuſmodi injuria coram eodem judice agi, licet obtrectator ratione ſuæ perſonæ alterius juriſdictioni ſubjectus ſit, ut ſentit Cravet. *conſil. 53. per totum*, & arguunt Cameralia præjudicia *dict. loco, verſ. In Camera producto aliquo, pag. 155. & verſ. Injuria ex actu judiciali procedens, pag. 157.* Ratio eſt, tum quod locus etiam, ubi delictum eſt commiſſum, præbet competens forum, & competentem judicem, *Tot. Tit. C. ubi de criminib. agi oport. l. Heres 19. §. 1. & §. ſeq. ff. de jud.* tum quia Idem judex, coram quo impoſita eſt injuria, facilius dignoſcere poteſt, quo animo verba injurioſa prolata ſint.

Non

Digitized by Google

Non incommodè hoc loco moveri poteſt & illa quæſtio: An famoſo ex libello in filiifam. infamiam ſcripto obligatus filio maneat ille, cui pater eam ſimpliciter remiſit injuriam? Negativa probatur tum ex eo, quod injuria filiofam. impoſita, patri duplicem obligationem & actionem parit, & proprio & filii nomine, *l. 1. §. Item ait per ſemetipſum 3. & §. Sive autem 8. l. Pater 41. ff. de injur. & l. 2. C. eod. tit* tum etiam textu expreſſo *in l. Sed ſi unius 17. §. Planè ſi præſens, 12. ff. de injur.* Ubi juriſconſultus Ulpian. Planè, ait, ſi præſens agere nolit (pater) vel quia differt, vel quia remittit, atque donat injuriam, magis eſt, ut filio actio non detur. Sic cum filiusfam. ſibi illatam injuriam remittit eo caſu, quo ipſemet experiri poteſt, pater amplius filii nomine argere non poteſt, ut arguit text. *in d. l. Sed ſi 17. §. Si filiusfam. 21. ff. d. t.* Denique probant hanc ſententiam Dd. communiter, quos ſequitur Jul. Clar. *libr. 5. ſentent. §. ult. quæſt. 58. num 22.* 34

Non obſtat, quod pater non poteſt adventia filii bona alienare, *l. 1. C. de bonis mater. l. Cum oportet 6 C. de bon quæ liber.* Neque repudiare poteſt hæreditatem filio delatam, *l. ult. C d. t.* ut nec legatum aut fideicōmiſſum filio relictū, *l. Renitente 11. C de jure deliberād. l. Ex repudiatione. 26. C. de fideicommiß. & l. 2. C. de repudianda bonor. poß.* Hic etenim 35 36

diſtinguendum eſt inter bonorum alienatio-nem, & remiſſionem injuriæ: tum quia injuria filiofam. impoſita propriam quoque patri actionem parit: tum etiam quia injuriarum actio ante litem conteſtatam in bonis
37 non eſt, *l. Injuriarum actio 28. ff. de injur.* ut proinde remitti poſſit.

Pro aiente ſententia pugnare inſuper magnopere exiſtimatur *l. Lex Cornelia 5 §. Il-*
38 *lud 6. ff. Eod. tit.* Ubi dicitur, quod injuriarum actio legis Corneliæ patri non competat, ſed filio duntaxat detur. Unde ſequi videtur, quod pater remittere eam injuriam & actionem nequeat, cum per vulgatam juris regulam nemo plus juris in alium tranferre poſſit, quam ipſemet habet, *l. Nemo plus juris, 54. ff. de reg. jur.*

At quia hæc ſententia ſingulariter recepta eſt in ea injuria, quæ ex lege Cornelia civilem parit actionem, ad conſequentiam trahi poſſe non videtur, *l. Quod verò 14. & duab. legib. ſeqq. ff. de legib.* maximè cum propenſiores eſſe jubeamur ad liberandum, quam ad obligandum, *l. Arrianus 47. ff. de obligat. &*
39 *action. ib.* & lex Cornelia coerceat injuriam, quæ manu fit, vel pulſando, vel verberando, vel domum alicuius vi introeundo, *d. l. Lex Cornelia 5. in prin. ff. de injur.* proindeque atrocior & gravior ſit, quàm quæ per famoſum libellum infertur. Siquidem hæc ad ſolam

lam pertineat infamiam: Illa verò & contumeliam in ſe habeat, & corpus lædat, aut aliam vim contineat.

Adhæc aienti ſuffragari videtur opinioni, quod *in l. Item apud 15. §. Itaque 44. ff. de injur.* comparantur injuria facto quodam illata ſervo, & ea injuria, quæ ſervo carmine ſcripto eſt impoſita. At comparatio illa fit non generaliter, ſed quò ad ſervum tantum, qui utroque illo modo injuria affici dicitur.

Denique affirmanti ſententię, & illud opitulari videtur, quod Ulpian. Juriſconſultus *in d. l. 5. ff eod. tit.* de utraque illa diſſerit injuria, quæ ſcilicet re fit, & quæ per famoſum infertur libellum, non etiam de ulla alia injuria; Unde aliqua conjectura capitur, parem eſſe conditionem utriuſque illius injuriæ. Sed argumentum hoc opinabile eſt, non neceſſariò concludens, ſiquidem de famoſo libello Juriſconſultus tractet *in l. Item apud Labeonem 15. §. Si quis libello 29. ff. d. t.* quæ prolixa admodum lex agit potiſſimum de injuria verbali, non ea, quam lex Cornelia coercet.

Publicam tamen accuſationem ex famoſo libello in filiumfam. ſcripto competentem *l. Quod Senatum 6. ff. de injur.* pater remittere non poteſt, cum jus publicum privatorum pactis mutari non poſſit, *l. Ius publicum 38. ff. de pactis.*

Si quoq; filius à patria poteſtate ſit exemptus, ut ſi emancipatus fuerit, aut in matrimonio vivat, & proprium habeat focum, injuriam ei per famoſum libellũ, aut alio modo impoſitum pater remittere non poteſt: tum quia textus *d. l. Sed ſi unius 17 §. Planè ſi præſens 12. ff. de injur.* loquitur de injuria filiofam. illata, ut diſertè præcedens arguit §. tum etiam quia & filiusfam. de his, in quibus pro patrefam. habetur, etiam invito patre agere poteſt, *l. 4. § 1. ff. de caſtrenſi pecul. l. ult. §. filiis autem, C. de bonis quæ liber. & l. Qui poteſt facere, §. Quod quis, ff. de reg. jur.*

41 Excutienda hic nobis eſt, & illa controverſa quæſtio? An is, qui famoſo libello injuria aliquem affecit, pœnitentia ſua poſtmodum ſecuta, liberetur ab injuriarum obligatione, & actione? Dd. communiter affirmativam amplectuntur; quorum quidam ſentiunt intra dies quoque triginta factam pœnitentiam abolere injuriarum obligationem & actionem, Felin. *ad c. Cum dilecti, nu. 16. extra de except.* Lanfranc. *ad c. Quoniam contra, cap. 7. num. 3. & ibi Additionator Celſus ext. de probat.* Joan. Baptiſta de Plotis *conſil. 131. Tomo. 1. conſilior. crim.* quidam in continenti revocationem injurioſorum verborũ fieri debere contendunt, ut ceſſet injuriarum obligatio & actio, Cagnol. *in l. Quicquid calore*

lore 48. ff. de reg. jur. Ferd. Vaſq. *lib. 1. quæſt. illuſtr. cap. 18. nu 38.*

Verum enimverò aienti huic Dd. pronunciato, adhærere non auſim, quocunq; etiam tempore ſecuta fuerit pœnitentia injuriatoris; tum quia autoritas juris ipſam pœnitentiam injuriæ revocatoriam non connumerat modis tollendæ obligationis injuriarum: tum quia nemo in delictis pœnitentiâ ſuâ 42
nocens eſſe deſinit, *l. Quid ſit fugitivus 17. §. 1. ff. de ædilit. edict. l. Qui ea mente 65. ff. de furt.* Ubi Ulpian. Juriſconſultus, Qui, ait, ea mente alienum quid contrectavit, ut lucrifaceret; tametſi, mutato conſilio, id poſtea Domino reddidit, fur eſt. Nemo enim tali peccato pœnitentia ſua nocens eſſe deſinit. Confert eodem text. *in d. l. pen. ff. vi bonor. raptor.*

Accedit & illud, quod etiam is, qui in ri 43
xam inconſulto calore prolapſus, homicidii convicium objecit, injuriarum tenetur actione, etiam poſt calorem ipſum depoſitum, *l. Si non convicii 5. C. de injur.*

Denique pertinet huc recepta illa, & jure 44
fundata Dd. ſententia, quod licet cauſa effectus cuiuſdam ceſſet, non tamen ipſe etiam effectus, in jure quæſito conſiſtens, amplius ceſſet, ut latè deducit Tiraquell. *Tractat. Regulæ, Ceſſante cauſſa, limitatione 11. & 12.* Quapropter injuria ſemel

 illa-

Digitized by Google

illata obligatio & actio injuriarum inde confeſtim nata, quæ ipſius injuriæ effectus eſt, adquiſitus jam ei, cui eſt injuria illata, tolli amplius pœnitentia non poteſt. His argumentis uſus, patrocinium ſuſcepi negantis opinionis in diſputatione mea de injuriis, ſub claſs. 3. diſputat 3. theſi 79. Poſtquam diſputationem, & ante huius commentarii, anno 1608. à me conſcripti, & exinde à multis deſcripti, editionem publicam, eadem concluſio placuit etiam Clariſſimo viro Domino Collegæ D. Harpprechto *Tractat. crim. ad Tit. Inſtitut. de injur §. Hæc actio, num. 76.* Ubi eiſdem à me adductis argumentis inhæret.

54 Non eſt etiam ab hoc loco & inſtituto noſtro aliena hæc quæſtio: Poſſitné ex famoſo libello contra eius autorem, aut divulgatorem in judicio experiri privatâ injuriarum actione, qui adverſus eandem retorſione uſus fuit? Hanc quæſtionem cum à nemine hactenus ante me, quod ſcirem, plenè tractata ſit, ſtudioſè eam hic expedire conſtitui. Et licet comperĕrim nuper, quod etiam Dominus Collega D. Harpprechtus *in §. Hæc actio, nu. 78. & ſeqq. Inſtit. de Injur.* eandem hanc diligenter explicarit quæſtionem; quia tamen in ea evolvenda omnem hunc meum laborem, ante editionem huius commentarii mei publicam, in ſuum illum tractatum tranſcripſerit,

pſerit, meas haſce meditationes in edendo hoc commentario meo hic omittere nolui.

Pro affirmativa autem militat generalitas juris communis, quæ injuria affecto actionem injuriarum concedit, *d. l. Item apud 15. § Generaliter 27. ff. de injur.* Ubi juris conditor Ulpian. Quandocunque, ait, quis fecerit vel dixerit, ut alium infamet, erit actio injuriarum.

Ludolph. quoq; Schrader. *conſil. 40. Tom. 1. Varior. Iuriſconſultorum Germaniæ, in tractatione primæ & ſecundæ quæſtionis*, diſſerit de juris quodam Doctore, qui contra civitatis cuiuſdam Tribunos Plebis, ipſum qui dixerant ſuſpectum, retorſione uſus fuerat his verbis: *Si quis dicat me ſuſpectum eſſe, ille hoc mentitur tanquam ſceleſtus:* & concludit, quod Doctor ille non modò ex hac injuriæ propulſatione & defenſione honoris ſui nō teneatur ipſis Tribunis ulla injuriarum actione, ſed & contra ipſos Tribunos ſuſpicionis illius nomine injuriarum actione experiri poſſit. 46

Confirmare videtur affirmativam & illud, quod ipſo retorſionis remedio, haud plenè conſuli videtur ei, qui affectus eſt injuriâ, & retorſione uſus eſt: quippe cum privatum illud vindictæ arbitrium retorquentis non æquè liberet ipſum à ſuſpicione objecti crimi- 47

 nis,

nis, ac ſi judex publicè pronunciet injudicio, quod eius obtrectator in ipſum actorem injurius fuerit, & rem fecerit illicitam, daß er dē kleger mit zugelegter ſchmach zu viel vnd vnrecht gethon hab.

48 Firmamentum aliquod eidem aſſertioni in eo quoque poni poteſt, quod actio injuriarum ad palinodiam inſtituta concurrere, & cum æſtimatoria injuriarum actione commulari, & ſimul proponi poteſt, Mynſing. *cent. 2. obſerv. 98.* Andr, Gayl. *libr. 1. obſerv. practic. obſer. 65. Vvurmbſer lib. practic. obſervet. Tit. 8. in fin.* Cum tamen ut retorſionis remedium, ſic & recantatoria injuriarum actio ad ſolius honoris tuitionem pertineat. Unde ſequi videtur, quod ſicuti recantatoria injuriarum actio non excludit æſtimatoriam actionem injuriarum, ita nec retorſionis remedium excludere debeat eandē hanc actionem injuriarum æſtimatoriam.

49 Poſtremò juris autoritas arguit, quod cū duo competunt juris remedia ex uno facto, id quod levius eſt, & minus, non tollat alterum, quod eſt pinguius, & amplius, *l. cum ex uno delicto 32. l. Qui ſervum 34 in prin. & l. Quotiens 41. §. 1. ff. de obligat. & action.*

Cum ergo æſtimatoria injuriarum actio pinguior & plenior ſit, quam injuriæ relatio ſive retorſio: ſiquidem ex illa actor, ſi victor

ctor exiſtat, conſequatur etiam certam pecuniæ ſummam, dicendum videtur per retorſionem injurię non perimi etiam ęſtimatoriam injuriarum actionem.

Quamvis autem non levis ſint momenti, quas adduxi pro affirmativa, rationes, negantis tamen ſententiæ patrocinium ſuſcipere nihil dubito. Primo enim qui in obtrectato- 50
rem & conviciatorem retorſit, & regeſſit injuriam ſibi illatam, is opprobrium convicium, & pudorem ſuum purgaſſe dicitur, *l. Quæ omnia 25. ibi, purgare magis convicium, Item ibi, ferendus enim pudorem ſuum purgans, ff. de procurat.* Cui conſequens eſt, quod poſt retorſionem injuria amplius non oneretur retorquens, proindeque nec injuriarũ actionem amplius habeat.

Deinde juris eſt non incogniti, quod inju- 51
riarum actio ad vindictam impoſitæ contumeliæ pertineat, *l. 2 §. Emancipatus 4. ff. de collatione bonor. & l. Prætor. 7. §. 1. verſ. At in actione injuriarum, ibi, ut vindicetur, ff. de injur.* Cum ergo ſe ipſum quis vindicat, ipſeque ſibi jureque judex exiſtit & ultor, amplius judiciali remedio vindictam poſcere non debet.

Accedit, quod qui ipſe jus ſibi dixit, in 52
eoq; jus dicantis autoritatẽ, quam implorare debueret, neglexit, *per l. nõ eſt ſingulis 196. ff. de reg.*

reg. jur. & l. un. C. Quando liceat cuique ſine jud. ſe vind. indignus eſt, qui inſuper legis & magiſtratus autoritatem ſentiat, *arg. l. Auxilium 37. in fin ff. de minorib.*

Ad hæc cautum eſt jure noſtro, quod cum uno eodemque ex facto plura juris remedia comparata ſunt, licet hæc diverſa ſint, & reſpectent diverſas, unius tamen uſu, alterum tollatur, & aboletur remedium, *l. 1. §. In tutela 21. & l. 2. §. 1. verſ. Sed & ff. de tutelæ & rationib. diſtrah. Zaſ. ad §. Si minus, Inſtit. de actionib. Oldendorp. in enchirid. except. Tit. Exceptio ineptæ cumulationis, num. 5. Compilator præjudiciorum Cameralium, in verb. Actionum Cumulatio, pag. 9.*

54 Præterea ex jure noſtro & illud notum eſt, quod cum uno ex facto plura competunt juris remedia ad eundem rem, unum tollat & abſorbeat aliud, *l. Plura 53. in prin. verſ. Nam ſi ex una, ff. de obligat. & actionib. & l. Nemo 43. §. 1. ff. de reg. jur.* Cum ergo ex verbali injuria omni duo competant juris remedia, retorſionis ſcilicet & actionis injuriarum, & competant ambo illa remedia ad unam eandemque rem, ad contumeliam nempe expellendam & amovendam, *l. Item apud 15. §. Si quis ſervo 46. ff. de injur.* Ex qua contumelia ipſa injuriarum actio naſcitur, *l. Si unus 27. §. Pactus ne peteret 2. verſ. Non enim, ibi, injuriarum actio naſcitur ex contumelia, ff. de*

pact.

pact. l. 1. in prin. verſ. ſpecialiter, ff. de injur. ſequitur inde, adhibito retorſionis remedio, non amplius competere alterum actionis remedium.

Atque hanc comprobant ſententiam Bart. *de Saxoferrato conſil. 5. num. 12. Tomo 1. conſilior. criminal.* Guilielmus Onciacus, *lib. quæſtionum jur. quæſt. 4 num. 5.* & Alciat. *in conſilio ſuo de materia duelli, non longè à principio.*

Ab eaque non abhorret ſupremum Ducatus Wurtembergici Tribunal, ut aliquoties juxta eam me adſeſſore judicavit. Ant. quoque Faber in ſuo Fabriano Codice, Tit. de injur. Definit. 8. eandem hanc defendit ſententiam, & in ſacro Sabaudiæ Senatu eam comprobatam teſtatur. Et hæc concluſio eo in primis caſu procedit, quo quis leviore acceptâ injuriâ graviorem (ut plerumque fit) regerendo intulit injuriam, ut ſentit Ant. Faber dict. loco.

Nihil juvat aientem opinionem textus generalis *in d. l. Item apud 15. §. Generaliter 27. ff. de injur.* Quod enim omnis injuria actionem injuriarum producere dicitur, id de ea audiendum eſt injuria, cuius obligatio nondum aliquo ſublata eſt modo. Retorſio autem, ut ex prædictis evincitur, eſt modus tallendæ obligationis injuriarum. 55

Ludolphi Schraderi opinio, ut aliena à juris authoritate, rejicienda eſt, maximè cum

argu-

Digitized by Google

argumenta, quibus utitur, eò tantùm ſpectent, quod injurioſa ſint verba, quibus aliquis ſuſpectus dicitur, eaque actionem injuriarum pariant: nec ullam adferat rationem, qua oſtendat, retorſionem in injuriantem factam non abolere obligationem & actionem injuriarum.

Tertium quod attinet argumentum, non eſt dandum & admittendum, quod eadem non ſit vis & effectus relationis injuriæ, & actionis injuriarum. Qui enim retorſit injuriam ſibi illatam, nulla amplius oneratur contumelia, cum crimen ſibi objectum retorſerit, & regeſſerit in ipſummet injuriantem, & ut judex in propria cauſa injuriam ſibi illatam ultus ſit, *l. Qui cum 14 §. Si libertus 6. verſ. Idem puto, ff. de bonis libertor*, & per injuriæ relationem omnimodò purgarit convitium ac pudorem ſuum, ſicuti docet Ulpian. Juriſconſultus *in d. l. Quæ omnia 25. ff. de procurat* ut proinde verè dicatur, eundem eſſe effectum retorſionis, qui ſententiæ judicialis.

Et licet actio injuriarum æſtimatoria videatur plenior, propter injuriæ æſtimationem, quia tamen arbitrio retorquentis planè perempta eſt illata injuria ipsâ retorſione, nihil reliquum eſt, æſtimari quod poſſit, cum non etium nullæ ſint qualitates. Et certè retorſio res non levis eſt, ut qua non modô injuria

immiſ-

immiſſa, & accepta rejicitur, & regeritur in injuriantem, ſed inſuper etiam idem ille injuriâ & quidem plerumque graviori affligitur & oneratur ab ipſo retorquente, ut proinde æqua cõparatione inſtituta retorquens ſua injurię relatione plus gravet injuriantem, quam ſi ab eo injuriæ æſtimationem conſequatur.

Quartum argumentum à cumulatione actionis injuriarum recantatoriæ, & æſtimatorię ideo negocii nobis facit nihil, quod cõjunctio illa ambarum actionum locum habet obligatione injurię impoſitæ nondũ abolitâ. At cum per retorſionem planè perimatur ipſa injuria, & inde nata obligatio, nulla earum actionum amplius moveri poteſt.

Quod autem duæ illæ actiones cumulari poſſe dicuntur eodem in libello, & judicio, id non tam juris ſcripti autoritate fit, quàm ex recepta contra ius vetus conſuetudine, cum, ut antea probatum, actiones uno ex facto deſcendentes cumulari nequeant. 57

Etſi igitur in harum actionum propoſitione judiciali una alteram non excludat, ſed ex recepto uſu ambæ ſimul proponi & cumulari poſſint, contra jus vetus, argumento tamen cumulationis illius dicendum non eſt, quod ſi recantatoria prius actum ſit judicio illo finito, æſtimatoria poſtmodum intentari queat: quippe cum jura nova anti-

antiquo juri contraria ſtrictè ſint accipienda,
58 non extendenda, *l. præcipimus 32. § ult. C. de appellat.* Et quod de una aliqua re uſu receptum eſt, id porrigi contra jus ſcriptum aliò non debeat, *per text. in l. pen. ibi , Neque enim ſicut illud receptum eſt, ita hoc quoq; receptum, ff. de reb. credit.*

Quintum & ultimum argumentum ictu eorundem telorum corruit, & perit. Videtur quidem plenior, pinguior, & amplior actio injuriarum æſtimatoria, quam injuriæ retorſio, cum ex illa nonmodò honor ſalvetur ipſi, qui injuria affectus eſt, ſed & certa pecuniæ ſumma ei pro injuria adjudicetur.

Verum honeſto Viro in exiſtimationis cauſa tanti pecunia eſſe non debet, quanti beneficium juris, quo & ſuum tutari honorem poteſt, & ſe ulciſci, ac injuriam ſibi illatam in injuriante retorſionis remedio vindicare.

Ad hæc quando injuriâ affectus, ſuâ injuriæ relatione ipſe ſibi judex & ultor extitit, nullam actionem amplius ſalvam habet, ut ſuprà oſtendi: Leges autem, in hoc argumentum adductæ, procedunt ubi ſalva adhuc eſt obligatio pinguioris actionis, quò ad id, quod plus eſt in ea actione.

Quinetiam quod jura noſtra permittunt, ut quis pleniori actione experiri poſſit, etiamſi

etiam ſi antea egerit actione, in qua minus fuit, id produci non debet ad injuriarum actionem æſtimatoriam, ſi antea vel actum ſit recantatoria injuriarum actione, vel retorſio injuriæ facta: tum quia injuriarum cauſa odioſa eſt, proindeque reſtringenda, *C. odia. Tit. de R. I. in 6.* tum etiam quia jura illa noſtra loquuntur de pluribus actionibus, quæ omnes vel rem noſtri patrimonii, vel pœnam pecuniariam perſequuntur. Sed 59
neque retorſio, neque recantatoria actio eſt vel rei, vel pœnæ pecuniariæ perſecutoria.

Cum nullum pecuniarium commodum inde capiat injuriæ affectus. Pœna eſt inju- 60
riæ, quod injuriator palinodiam cantare jubetur. Eſt item non levis pœna injuriatoris ipſa retorſio, ut qua non modò regeritur in ipſum illata injuria, ſed & alia ei, & plerunque gravior injuria imponitur, unde ipſe injuriator falſi arguitur, & nova oneratur injuria.

Non deſunt qui exiſtimant, relatione ſive retorſione injuriæ oboleri quidem injuriarum actionem recantatoriam, non autem æſtimatoriam, eò quod utriuſque huius remedii eadem vis ſit, & effectus idem, qui conſiſtit in honoris defenſione: proindeque unius remedii uſu perimi & alterum remedium.

Digitized by Google

Atqui cum ipſa retorſio, ſive relatio injuriæ prorſus aboleat injuriarum obligationem, hac certè ſublata eius quoque effectus, actio ſcilicet omnis perempta intelligi debet.

62 Pandectarum jure permiſſum eſt injuriâ affectis retorquere & regererè injuriam in obtrectatorem, *d. l. Quæ omnia 25. ff. de procurat. & d. l. Qui cum maior, 14. §. Si libertus 6. ff. de bonis libertor.* Cum igitur huic Digeſtorum juri incognita ſit actio injuriarum recantatoria, ut quæ uſu poſtmodum introducta eſt, ac confirmata conſtitutione Cæſarea, In Keyſerlicher Cammergerichts ordnung *part. 2 Tit. 28. §.* Vnd ſonderlich/ ꝛc. patet inde, quod retorſionis remedium jure pandectarum tollat maximè æſtimatoriam injuriarum actionem. Quia autem hanc perimit actionem dubium eſt nullum, quin aboleat etiam recantatoriam.

63 Quod ſi conventus ſit quiſpiam recantatoria injuriarum actione, qui lubrico linguæ calore iracundiæ magis, quàm certo animi judicio alicui injuriam impoſuerit, ad palinodiæ cantionem eum non facilè condemnarem, ſed pronunciarem ſimpliciter, Das jhme beklagten nicht gezimbt / noch gebürt/ den Kläger geklagter maſſen zur injurien, ſondern

dar-

darmit zu viel vnd vnrecht gethon hab / etc. atque ſimul ipſi honorem reſervarem, Lubricum enim linguæ non facilè ad pœnam trahi debet, *l. Famoſi 7. § 3. ff ad leg. Iul. Majeſt.* Et quicquid calore iracundiæ, vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quam ſi perſeverantiâ apparuerit judicium animi fuiſſe, *l. Quicquid 48. ff. de reg. jur.* Eſt autem non levis pœna cenſenda cum quis proprio ore ſuo, & lingua, quod mentitus ſit, publicè, coram hominum turba fateri cogitur. Eaque res apud bonos & graves viros opinionem eius ſugillat. Semper autem curandum eſt, ut quantum fieri poteſt, pœna delicto reſpondeat, *l. Sancimus, 22. C. de pœnis.*

Famoſo diffamatus libello, an ſui honoris jacturam faciat.

SUMMARIA.

1. Vulgus opinatur infamem effici, qui iniuria ab aliquo affectus eſt; donec vel retorſione utatur in iniuriatorem, vel ſententiam victricem contra ipſum obtinuerit.
2. Infamis efficitur aliquis tribus modis.
3. Propriè infames qui dicantur.
4. Infames propriè qui dicuntur, in triplici ſunt differentia.
5. Infamis eſt, qui actis ludicræ causâ in ſcenam prodit.
6. Infamis efficitur vidua, quæ intra luctus tempus ad ſecunda tranſit vota.
7. Infamis fit, qui quæve bina ſponſalia, binaſve nuptias eodem tempore conſtitutas habet.
8. Infamis eſt fœmina, quæ corpore ſuo quaſtum facit.
9. Infamis eſt fœmina, quæ in adulterio fuit deprehenſa.
10. Infamis eſt mas omnis, qui ſponte muliebria paſſus fuit; & qui præpoſtera venere ſe polluit.
11. Infamis eſt, qui directa pro ſocio, depoſiti, mandati, vel tutelæ actione propter dolum condemnatus eſt.
12. Infamis eſt condemnatus actione furti, vi bonorum raptorum, vel iniuriarum.
13. Infamis eſt de dolo ſuo nomine condemnatus.
14. Infamis eſt mulier ventris nomine inpoſſeſſiionem miſſa, ſed ob calumniam detectam poſtea condemnata.
15. Infamis eſt, qui de crimine, non ingerente mortis pœnam cum adverſario interveniente precio, pactus fuit.

16. In-

Digitized by Google

16. Infamibus non connumeratur, qui famoſo libello, aut convicio quodam oneratus à quoquam fuit, etiamſi non vindicet illatam ſibi iniuriam.
17. Infamis propriè nemo eſt, niſi quem ius nominatim pronunciat infamem.
18. Infamiam iuris non irrogat per ſe furtum, iniuria, rapina, adulterium, &c niſi reus iudicis ſententia ob eiuſmodi aliquod delictum condemnatus ſit.
19. Infames opinione hominum gravium, & honeſtorum qui ſint.
20. Infamis quod non ſit, in quem famoſa ſcriptura, aut convitium factum eſt, argumentis aliquot oſtenditur.
21. Infamia eſt quædam turpitudinis pœna.
22. Innocens puniri non debet.
23. Magiſtratus non dicitur inferre ſubdito iniuriam, quando eum verbis corrigit iniurioſis iuſta ex cauſa.
24. Non eſt ſingulis concedendum, quod aliquibus ex cauſa permiſſum eſt
25. So ein Meiſter / oder Geſell eines Handwercks von jemandt geſcholten wirdt / iſt er deßwegen nicht für vnredlich zuachten. Soll auch derhalben von andern Meiſtern / vnd Geſellen nicht außgetrieben werden / ſondern dieſelben mit vnd neben jhme zu arbeiten ſchuldig ſein / ſo lang biß die angezogne Schmach gegen jhme erörtet worden
29 Diluuntur argumenta, quibus obtineri poſſe videtur, iniuria affectum infamia notari.

Vulgi opinio communis eſt, infamem eſſe eum, qui per convicium aut famoſum libellum injuria affectus eſt ab alio, donec cõtra injuriantem in judicio injuriarum actione conventum victricem ſententiam obtinuerit. Hinc mechanicis in collegiis ſuis non ferunt quenquam opifices, cui injuria eſt illata, priuſquam ille modo legitimo ultus ſe fuerit adverſus injuriatorem. Quàm vana autem & erronea hæc ſit opinio, operæ precium eſt penitus & explorate cognoſcere. 1

Digitized by Google

Infamis aliquis eſt vel juſſu & authoritate
2 juris, vel re, id eſt, proprio, turpi & nefario facto, & hominum opinione, vel opinione tantum hominum, abſque proprio turpi facto, *l. 2. Ibi, verbis edicti non habeantur infames, re tamen ipſa, & opinione hominum non effugiunt infamiæ notam, ff. de obſequiis parentib. & patr. præſtand. l. Ea quæ pater, 13. C. Ex quib. cauſ. infam. irrogatur, l. 2. C. de dignitarib. lib. 12.*

Hæc infamium diſtributio mea & ſequens ſub diviſio adprobatur quoq; à Domino Collega, D. Harpprechto, *in §. 1. nu. 219. & ſeq. inſtit. de injur.* Ubi eadem partitione utitur deſcriptâ partim *ex diſputat. 6. Claſ. diſputat. mearum v.* partim etiam ex hoc commentario meo.

3 Primi generis infames propriè dicuntur infames, ut ſunt, quos jus ipſum ob facinus quoddam infames eſſe jubet, quando eos nominatim infamiâ notat, ſive nominatim ipſis infamiam irrogat, *Tot. Tit. ff. de his, qui notantur infam. & Tot. Tit. C. Ex quib.*

4 Hi in triplici ſunt differentia. Jubentur enim infames eſſe jure, vel ob ſolum aliquod facinus jure prohibitum, abſque judicis ſententia, vel ob judicialem condemnationem maleficii cuiuſdam cauſa factam, vel ob pactum de quodam turpi delicto remittendo, pro precio ſine judicis authoritate interpoſitum.

Primo

Primo generi jure infamium ſubjiciuntur 5
illi, qui artis ludicræ causâ inſcenam prode-
unt, *l. 1. §. Qui artis, l. 2. §. Ait prætor, & le-
gib. ſeqq. ff. de his qui notantur infam.* Item
lenones, *d. l. 1. verſ. Qui lenocinium, 4. §. Ait
prætor 2. ff. d. t l. pen. C. Ex quib. cauſ infam.
irrog.* Ut & viduæ intra luctus tempus ad ſe- 6
cunda vota tranſeuntes, *l. Decreto 15. C. d. t.
l. 2. C. de ſecund. nupt.* tum etiam qui, quæve 7
bina ſponſalia, binaſve nuptias eodem tem-
pore conſtitutas habent, *l. 1. in fin. l. Quid
ergo, §. 1. & ſeq. ff. de his, qui notantur infam.*
Et fœmina quæ palam corpore ſuo quæſtum 8
facit, *l. Probrum 41. & l. Palam, 43. in prin.
& §. 6. ſeqq. ff. de ritu nupt.* aut in adulterio 9
fuit deprehenſa, *d. l. Palam 43. §. Quæ in a-
dulterio 12. § ſeq. ff. d. t.* Nec non mas om- 10
nis, qui ſponte muliebria paſſus fuit, *l. 1. §.
Removet autem 6. ff. de poſtuland.* Vel præ-
poſtera eiuſmodi venere ſe polluit, *l. Cum
Vir, 31. C. ad leg. Iul. de adulter.*

Secundi generis infames ſunt, qui directa 11
actione pro ſocio, vel depoſiti, vel mandati,
vel tutelæ propter dolum ſuum condemnati
ſunt, *l. 1. verſ. Qui pro ſocio, l. 4. §. fin. l. Furti
6. §. Mandati, & §. ſeq. l. In actionib. 7. ff. de
his, qui notantur infam. l. ult. C. Ex quib. cauſ.
infam. irrogatur.* Qui item condemnati ſunt 12
actione furti, ubi bonorũ raptorũ, vel injuri-

arum, *l. 1. verſ. qui furti, l. 4. §. fin. l. Furti 6. in prin. & §. 1. & 2. ff. d. t. l. Infamem 7. ff. de public. jud.* Aut de dolo nomine ſuo condemnati, *d. l. 1. verſ. Qui furti, ff. de his, qui notantur infam. l. Non debet, 11. §. 1. ibi, cum ſit famoſa, ff. de dolo.* Ut & mulier in poſſeſſionem ventris nomine miſſa, ſed ob calumniam detectam poſtea condemnata, *l. Notatur 15. & aliquot ſeqq. legib. ff. de his, qui notantur infamia.*

Tertium genus jure infamium comprehendit criminis reum omnem, qui nulla conſcientia convictus, ne ſecum ageretur de crimine, non ingerente mortis pœnam, pactus eſt cum adverſario, certo precio interveniente, *l. 1. verſ. Qui furti, l. 4. in fin. l. 5. l. 6. §. Pactuſque, ff. de his, qui notantur infam. l. Non damnatos 18. C. Ex quib. infam. irrogatur, junct. l. Tranſigere, C. de tranſact.*

16 Cæterum in numero horum, qui juris autoritate infames propriè ſunt, haberi non poſſunt illi, quorum famam inſectatus quis eſt famoſo libello, aut convicio quodam, ſive primum, ſive ſecundum, ſive tertium genus infamium conſideremus, & conditionem cuiuſque generis penitus inſpiciamus.

17 Nemo ipſo jure, & propriè infamis eſt, niſi quem jus nominatim pronunciat infamem, *l. Ea quæ, 13. ibi, infames jure non faciunt, C. Ex quib. cauſ. infam. irrogatur, l. Cognitionum*

num 5. §. Exiſtimatio, ff. de extraord. cognit. l. 2. ibi, famoſis, & notatis, C. de dignitatib. lib. 12. l. Ob hæc verba 20. & l. Iuriſconſultus 22. ibi, infamiam damnato irrogat, ff. de his, qui notantur infam. ut quando infamiâ aliquem notat, aut alicui nominatim & ſpecialiter infamiam irrogat jus: qui modi loquendi infamiâ notare, & irrogare infamiam, ſunt juris noſtri, de his, qui ipſo jure, & propriè ſunt infames, uti arguit Rubrica. *ff. de his, qui notantur infam. & Rubr. C. Ex quib. cauſ. infam. irrogatur*, Cum ergo hi, quibus convicium eſt factum, aut in quorum infamiam famoſus libellus emanavit, nuſquam in jure noſtro ſpecialiter & nominatim infames dicantur, infamibus connumerari non debent.

Quod eos attinet, qui ex proprio ſuo tur- 18
pi, & nefario facto, hominum duntaxat opinione, infames putantur, ſunt illi, qui ſe maleficio quodam, puta furto, injuriâ, rapina, adulterio, aliove crimine publico polluerunt, de eo tamen Iudicis ſententia definitivâ condemnati non ſunt, *l. Interlocutio, 19. ibi, infamem eum feciſſe non videtur, cum non ſpecialiter ob injuriam vel admiſſam vim condemnatus ſit, C. ex quib. cauſ. infam. irrog. d. l. 2. ff de obſequiis parentib. & patron. præſtand. d. l. 2. ibi, & quos ſcelus, aut vitæ turpitudo inquinat, C. de dignitat. lib. 12.* Hi propriè in-

fames eſſe negantur in jure noſtro, & nullam exiſtimationis infamiam ſuſtinere dicuntur, *l. Nullam 14. & d. l. Interlocutio 19. ibi, infamem eum feciſſe non videtur, C. Ex quib. cauſ. infam. irrogatur, l. Eos 12. ibi, nec enim infames ſunt, ff de decurionib.* & à Dd. infames infamià facti dicuntur.

Huic etiam infamium ordini accenſeri nō poteſt ille, quem aliquis famoſo libello inſectatus fuit, aut convicio affecit, ſi integer vitæ, ſceleriſque purus ſit, cum non ſola obtrectatio, & convitium, ſed flagitium ipſum efficiat, ut quis opinione honeſtorum & gravium virorum pro infami habeatur, ut modò oſtendi.

19 Sola gravium & honeſtorum hominum opinione abſque ſuo proprio ſcelere quodammodo infames exiſtimantur illi, qui quidem revera infames non ſunt, ſed in jure noſtro levis notæ macula aſperſi dicuntur, *l. Fratres 27. C. de in offic. teſtam.* quorum item opinio, & verecundia apud graves, & bonos viros onerari dicitur, *d. l. Ea quæ 13 & l. verbum 17. C. Ex quib. cauſ. infam. irrogatur.* In horum numero eſt filius, quem pater teſtamento ſuo verbis increpavit, *l. Ea quæ 13. C. Ex quib. cauſ. infam. irrog.* ut & ille, quem magiſtratus duro quodam verbo reprehendit, non cauſa cognita, *l. verbum 17. C. d. t.*

Sed

Sed horum conſortio adponi debere eum, 20
qui famosâ ſcripturâ, aut convitio diffamatus eſt, non tam dicerem, quàm negarem ego: tum quia nuſquàm in jure noſtro is, qui immeritò diffamatus eſt, huic infamium ſocietati connumeratur: tum quia nemo prudens, & diſcretus opinabitur facilè, verecundiam onerari illius, ſive notæ levis macula aſpergi eum, qui protervitate alicuius injuria eſt affectus: quippe cum etiam integerrimus quiſque malevorum maledictis vexari poſſit: tum poſtremò quia injuria dicitur ei fieri, in cuius infamiam libellus editur famoſus, aut convicium projicitur, *l. Item apud 15. §. Si quis libello 29. ff. de injur.* Injuria ſi infertur ei, haud verè dici poteſt, eâdem ex injuriâ infamiæ maculâ ipſum affici.
Infamia quippe dedecoris & turpitudinis 21
pœna quædam eſt, *l. 1. ff. de his qui notantur infam.* quam juſtitia exigente, ſuſtinere debet non cui injuria infertur, ſed is, qui
infert injuriam: cum nocens, non inno- 22
cens puniri debeat, *l. Sancimus, 22. C. de pœnis.*

Quod autem filii verecundiam apud bonos & graves onerari jura volunt, cum eum pater teſtamento ſuo increpavit, hanc habet ſingularem rationem, quod pater præſumitur dignè, & juſta ex cauſa filio probrum teſtamento objicere; puta ob eius nota-

Digitized by Google

notabilem impietatem: Siquidem citra probabilem, & certam cauſam de patre non debeat præſumi, quòd indignè proprium ſanguinem inquinare velit, ultima inprimis voluntate, qua quis nihil mali cogitare cenſetur. Latè Menoch. *lib. 5. præſumpt. præſumpt. 5.*

23 Magiſtratus item, quando ſubditum verbis corrigit injurioſis, eumque reprehendit, juſta ex cauſa id facere præſumitur, non privato quodam ex odio, *l. Quod Reipub. 33. ff. de injur.*

Nonmirum ergo, quod opinio filii, itemque ſubditi apud bonos & graves viros ex cauſa eiuſmodi oneratur.

Verùm hinc petere conſequentiam, & extenſionem fieri ad alios, haud convenit,
24 cum ſingulis concedendum non ſit, quod patri in liberos, aut magiſtratui in ſubditos permittitur, *l. un. C de emendat. propinquor l. 2. C. de parentib. qui filios ſuos diſtrax. l. Non eſt ſingulis 176. ff. de reg. jur.*

Ex iſthac ergo ſpecierum infamium omnium inductione manifeſtum eſt omnino, quod nulla planè infamia obveniat illi, qui famoſo libello, aut quo alio convitio diffamatus eſt. Id quod ſecundò arguit clariſſimus textus *in l. un. in fin. C. de famoſ. libell.* Ubi Valentinianus & valens Impp. huiusmodi autem libellus, *aiunt*, alterius opinionem non lædat.

Re-

Digitized by Google

Receſſus quoque Imperii Auguſtanus de anno 1548. *in fin Titul.* Von Handwercks Söhnen/ Geſellen/vnd Lehr Knaben/ & Receſſus Imperii Auguſtanus de anno 1577. *Tit. 38. §.* Es ſollen/ idem diſertè teſtantur, ubi diſponitur, Daß der jenig/ ſo geſchmächt worden/ keines Weegs außgetrieben/ ſondern bey ſeinem Handwercks Geſellen/ mit vnnd neben jhme zuarbeyten ſchuldig ſein/ ſo lang biß die angezogen injurien vnd Schmach/ gegen jhme/ wie ſich gebürt/ erörtert wirdt 25

Nihil obſtat, quod omnis injuria quæ non infertur corpori, vel ad deformandam dignitatem, vel ad infamiam aſpergendam pertinere dicitur, *in l. 1. §. 2. ff. de injur.* Id enim de ſolo diffamatoris propoſito & intentione accipiendum, non quod revera diffamati exiſtimatio & dignitas labefactetur, aut ulla infamia ei inferatur. 26

Neque etiam refragatur, quod recantatoria injuriarum actio adverſus diffamatorem moveri poteſt: quodque hac mota actione judex honori & famæ reſtituere actorem ſolet, ut quandoque & reum ipſum, Das keinem theil die für ſchmählich angezogne Wort an ſeinen Ehrn nachtheilig ſein ſollen. Etſi enim alicui reſtitui illud dicatur, quod ei ablatum eſt: attamen reſtitutio hæc famæ & honoris, quæ fit recantatione diffamatoris, & judicis ſententia pertinet tantum ad excu-

tien-

Digitized by Google

tiendam libidinem, & propoſitum injuriatoris, ut oſtendatur publicè illatam ab ipſo injuriarum nihil officere exiſtimationi diffamati; idque omnibus maximè vulgo innoteſcat, opinanti per injuriam alicui factam eius famam & honorem deminutum, & violatum eſſe. Ita quoq; ſentit D. Spekhan. *cent. 2 qu. ſtionum jur. claſ. 3. quaeſt. 8. nu. 12. & ſeqq.*

CAP. V.

De vindicatione libelli famoſi in autorem, adprobatorem, & propagatorem jure comparata.

SUMMARIA.

1. Famoſus libellus vindicatur & publico, & privatò judicio.
2. Publico judicio quibus caſibus vindicetur famoſus libellus.
3. Accuſatio publica famoſi libelli nomine quandoque neceſſaria eſt.
4. Pœna quæ ſit famoſi libelli variant interpretes.
5. Pœna famoſi libelli quo caſu ſit capitalis,
6. Capitalis pœna ſitne ultimum ſupplicium, vel deportatio, quando alicubi in jure ſimpliciter ſit mentio capitalis pœnæ, controvertunt Dd.
7. Per capitalem pœnam in jure noſtro ſignificari deportationem Doctores communiter ſentiunt.

8. Per

8. Per capitis ſive capitalem pœnam in jure noſtro ſignificatur deportatio, niſi materia ſubjecta aliud ſuadeat.

9. Verbis, *Capite puniri, damnari, plecti,* quæ ſignificetur pœna in l. Sed ſi, 5. in prin ff. de bonis damnator. l. cum autem 23. §. Excipitur, ff. de ædilit. edit. l. 1. C. de Eumich. l. 3. §. ult. & l. pen. ff & leg. Cornel. de ſicar l. ubicunque 11. C de heretic. l. Lex Iulia, 7. ff. de lege Iulia repetund. &c.

10. Capitis pœna quæ ſit in l. 3. §. & is, qui, § In bello, 15, § Qui ſeditionem, & l ſeq. §. 1. & 2. l. 5. §. 1. & §. 3 l. 6 § 1. 2. 4 7. ff. de re milit. l. ult. ff. de rer. diviſ. l. Qui cum major. 14. §. Si libertus. ff. de bonis libertorum. l. 2. C. Quæ res export. non deb. l. 1. C. de cohortib. lib. 12. &c.

11. Capitalibus pœnis non connumerantur membri mutilatio, fuſtigatio, relegatio.

12. Pœna quæ ſignificetur per capitalem pœnam in l. un. C. de famoſis libell variant interpretes.

13. Autoris ſententia de pœna capitali d. l. ul. C. de famoſ. libel.

14. Vt pœna mortis afficiatur quis ob famoſum libellum tria concurrere debent.

15. Pœna mortis in famoſi libelli fabricatorem & definita in l. un Cod. de famoſis libel. non eſt abrogata per ſanctionem Criminalem articulo 110.

16. Pœna mortis comparata in autorem famoſi libelli non eſt ſublata per Receſſus Imperii.

17. Talionis pœna imponitur ei, qui non adſcripſit famoſo libello nomen ſuum, ſi objectum crimen aliam, quam mortis pœnam mereatur, & crimen illud falſo obiectum ſit.

18. Qui verum alicui objecit famoſo in libello aliquod crimen quod non mortis ſed aliam pœnam meretur, arbitraria afficitur pœnâ, fuſtigatione ſcilicet, vel relegatione, vel carcere.

19. Carolina conſtitutio criminalis in articul. 110, non eſt abrogata per Receſſus Imperii poſteriores.

20. Pœna famoſi libelli, cui non eſt inſertum autoris nomen, quæ ſit explicatur.

21. Con-

Digitized by Google

21. Conſtitutio Carolina in artic. 110. non corrigit diſpoſitionem l. un. C. de famoſ. libel. in eo, quod autorem, & propagatorem famoſi libelli eadem pœnâ plecti jubet.
22. Arbitraria pœna imponitur ei, qui extraordinarium crimen aliquod famoſo in libello alicui objecit.
23. Quidam volunt, quod hodie ex conſuetudine omni caſu arbitraria afficiatur pœna, qui famoſum in aliquem fabricavit libellum.
24. Rejicitur opinio iſthæc.
25. Ad conſuetudinem eiuſmodi probandam quæ deſiderentur.
26. Error detegitur eorum, qui putant Juſtinianeo jure omnium delictorum pœnas hodie eſſe arbitrarias.
27. Iudex pœnam legis tenetur præciſè ſervare.
28. Iuſtis ex cauſis poteſt judex legis pœnam mitigare.
29. Pœnam famoſi libelli ordinariam poteſt quandoque judex ex cauſis iuſtis mutare, & minuere.
30. Pœnam famoſi libelli poteſt interdum judex ex cauſa augere.
31. Pœna famoſi libelli jure Canonico quæ ſit.
32. Pœna quæ ſit eorum, qui excudunt, aut vendunt famoſos libellos.
33. Condemnatus propter famoſum libellum inteſtabilis eſſe iubetur
34. Reiicitur eorum opinio, qui putant, famoſi libelli pœnam olim tantum fuiſſe inteſtabilitatem condemnati rei.
35. Reus criminis famoſi libelli, quando condemnatur, nominatim in eum pœna certa pronunciatur.
36. Crimen famoſi libelli an publicis, vel privatis delictis connumerandum ſit? explicatur; & refutatur eorum opinio, qui autumant, quod privatis tantum accenſeri debeat delictis.
37. Privata & civilis iniuriarum actio ex famoſo libello moveri poteſt: & quo caſu id permiſſum ſit.
38. Ob famoſum libellum tenetur quis non modò exiſtimatoria, ſed & recantatoria iniuriarum actione; quæ cumulari eodem in libello poſſunt.
39. Actio iniuriarum ex famoſo libello ſitne annalis, vel perpetua? quæſtio controverſa.

40. Gra-

40. Gravior eſt injuria, quæ per libellum famoſum infertur, quam quæ infertur verbis ore prolatis.
41. Non injuriæ qualitas, ſed legis ratio facit perpetuam injuriarum actionem.
42. L. un. C. de famoſis libellis, non præbet civilem injuriarum actionem, licet quidam aliter ſentiant.
43. Dd. ſentiunt, actionem injuriarum ex famoſo libello, aliaque ſcripta injuria eſſe perpetuam.
44. Retorſio quid ſit.
45. Retorſio in continenti fieri poteſt, non ex intervallo.
46. In continenti quæ dicatur fieri retorſio.
47. Retorquens cavere debet ſtudioſè, ne regerendo injuriam modum excedat.
48. An licitè his verbis retorſio fieri poſſit: Tu mentiris, ut fur, ut ſceleſtus, ut latro?

Vindicatio famoſi libelli, vel publico fit judicio per accuſationem, vel judicio privato per actionem, vel retorſionis remedio. 1

Publico judicio per accuſationem famoſi libelli vindicatio fieri poteſt non modò ſi vel neque autoris, neque diffamati nomen ei ſit inſertum; vel ſi autoris nomen occultatum in eo ſit, expreſſum verò diffamati nomen; vel adſcriptum quidem ſit nomen Autoris omiſſum verò nomen diffamati, *l. Quod Senatum 6. ibi, publica quæſtione, item ibi, publica quæſtione, item ibi, publico judicio, ff. de injur. l. un. ibi, Capitali ſententiæ, junct. verſ. ſanè ſi quis, C de famoſ. libell. Ordinat. Carolina artic. 110.* Sed & utriuſque & autoris & diffamati nomen adpoſitum ſit famoſo libello, uti arguit *d. l. Cornelia 5. §. fin. ibi,* 2

 accu-

accuſatæ perſonæ, ff. de injur. gl. in l. Quod Senatum 6. in verb. neceſſarium, ff. d. t.

3 Eſtque maximè neceſſaria publica accuſatio, cum ſolum autoris, aut tantum diffamati, vel utriuſque nomen occultatum eſt famoſo in libello: ſcilicet propter difficultatem probationis uti arguit *d. l. Quod Senatum 6. Vbi gl. in verb. Neceſſarium, ff. de injur.* ut nimirum prodeat at accuſandum quilibet de populo, qui oſtendere poteſt probationibus autorem, ſcriptorem, aut propagatorem libelli famoſi, *§. 1. Inſtit. de public. jud.*

4 Quando autem publico judicio vindicatur famoſus libellus, diſpiciendum inprimis eſt de pœna eius, qui vel compoſuit, vel deſcripſit libellum famoſum, vel ab alio compoſitum, aut deſcriptum dolo malo publicavit: qua in quæſtione interpretes ſententiis ſuis mirificè variant, ut præter alios oſtendit Proſper Farinac. in praxi criminali, *libr. 3. quæſt. 105.* nec immeritò: tum quia *in d. l. un. C. de famoſ. libell.* ſimpliciter mentio fit pœnæ capitalis, quæ pœna non tantum ultimo continetur ſupplicio, ſed & deportatione, & in metallum damnatione, *l. 2. ff. de publ. jud. & §. 2. Inſtit. eod. tit.* tnm etiam quia in *d. l. Lex cornelia 5. §. Si quis librum 9. ff. de injur.* ſolum inteſtabilis ex lege jubetur eſſe, qui nomine famoſi libelli condemnatus eſt: tum

Digitized by Google

tum maximè quia Carolina ſanctio criminalis artic. 110. talionis pœnam proponit famoſo libello, eam ſcilicet; quæ convertenda eſſet in diffamatum, ſi de objecto crimine convictus eſſet: tum poſtremò, quia noviſſimi receſſus Imperii arbitrio judicis pœnam huius criminis committere videntur, Reichs abſchid zu Augſpurg *de anno 1530 mi. pag. 209. fac 2. ibi*, bey groſſer Straff nach gelegenheit geſtrafft werden / *& de anno 1548. Tit.* Von Schmechſchrifften / *§.* Ferrer ſetzen / *in fin. pag. 66. & ſeq.* Reichsabſchid zu Speyr *de anno 1570. §.* Zum andern ſoll auch ꝛc. *mihi pag. 43. ibi*, bey hoher Straff / Reichs abſchid zu Franckfurt *de anno 1577. Tit. 35.* Von Buchtruckern / Schmächſchrifften ꝛc. *§.* Wann wir nun / *ibi*, auch einer ſchweren Peen / nach ermeſſung jhrer ordenlichen Obrigkeit ꝛc. *& §. ſeq. in fin. ibi*; vermög der Recht / vnd je nach gelegenheit / vnnd geſtallt der Sachen / ꝛc.

Ubi igitur pedem figere; & quid de criminis huius pœna ſtatuere debeamus, explicatu difficile eſt.

Verum in hoc veteris, novi, & noviſſimi juris concurſu meminiſſe hic debemus, priores leges ad poſteriores eſſe trahendas, *l. Non eſt novum. 26. & l. ſeq. ff. de legib.* poſteriores item leges pertinere ad priores, niſi contrariæ ſint, *l. ſed & poſteriores, 28 ff. d. t.* Et quidquid lege nova ſpecialiter non videtur

 expreſ-

expreſſum, id veterum legum, conſtitutionumque regulis relictum intelligi, *l. Præcipimus 32. in fin. C. de appellationib.*

5 Hinc eam adductus ſum in opinionem, quandoque capitalem eſſe famoſi libelli pœnam, juxta *d. l. un. C de famoſ. libell.* interdum eius eſſe pœnam non quidem capitalem, certam tamen aliam, ſecundum criminalem Caroli V. Imp. Conſtitutionem, artic. 110. Aliquando autem illius pœnam eſſe arbitrariam, ut arguunt Receſſus Imperii. Semper verò, & omni caſu damnatum ex cauſa famoſi libelli, inteſtabilem eſſe, de qua pœna *in d. l. Lex Cornelia 5. §. Si quis librum 9. ff. de injur.* Videamus ergo quo caſu cuiq; pœnæ locus ſit.

6 Dict. l. un. C. de famoſ. libell. nominatim agit de capitali pœna, & eo caſu, quo nomen ſcribentis famoſo libello inſertum non eſt: ſed de genere criminis, quod objectum eſt, ſpecialiter non meminit. Diſpiciendum ergo quid per capitalem pœnam ſignificetur ea in lege, num ultimum duntaxat ſupplicium, vel alia etiam capitalis pœna, puta deportatio, quæ & ipſa capitalis dicitur pœna *d. l. 2. ff. de public. jud. & § 2. Inſtit. d. t. l. Licet 103. verſ. Pœnæ tamen appellatio, ff. de verb. ſignif.* aut etiam mutilatio membri, fuſtigatio, relegatio? quas pœnas priores duas capitalibus connumerat Chaſſenæ. *in conſuetud.*

tud. Burgund. Rubr. 1. §. 5. in verb. Corporellement. pag. 169. Nonnulli eiſdem pœnis relegationem adjiciunt *per l. Hos accuſare 12. §. Omnibus, 4. ff. de accuſat. & l. Claudius 13. ff. de his, quæ ut indig.*

Non deſunt ex recentioribus, qui per capitis, ſive capitalem pœnam, quando ſimpliciter eius fit mentio in legibus, aut ſtatutis, intelligendam putant ſolum mortis pœnam, quæ ultimum dicitur ſimplicium in jure noſtro, *l. 2. C. de commerciis, & mercatorib. & l. ultimum 21. ff. de pœnis.* in quam opinionem varios juris textus adducunt, de quibus paulò poſt.

At communis Dd. concluſio eſt, quòd cum lex vel ſtatutum capitalem, ſive capitis imponit pœnam, non intelligatur mortis pœna, neque ea, per quam damnatus efficitur ſervus, ut eſt metalli coercitio, ſed deportatio ſolum, *gl. in l. un. C. Ne Chriſtianum mancipium hæreticus poſſideat, & in l. ult. C. Quæ res venire non poſſ. Hipolyt. de Marſil. in practic. crim. §. Oportunè num 39. Decius in l. Super in obſcuris 9 ff. de reg. jur. Dyn. & alii Canoniſt. in c. Odia, Tit. de jur in 6,* Petr. Peckius *in c. in pœnis, d. t.* Petr. Faber *in l. Ea ſola, 97. ff. eod. tit. Mynſing. cent. 2. obſer. 45. Alciat. ad l. Licet 103. ubi Gœdda. ff. de verb. ſig.* Joannes Longovallius *in nova repetit. l. Imperium, in prrn. num. 12. ff. de juriſdict.* 7

 Muſ-

Muſcor. *Tractat. de juriſdict. num. 94. Menoch. lib. 5. de præſumpt. præſumpt. 49. num. 3.* Mynſing. Reſp. *59. nu. 49. decat. 6.*

8 Atque hæc ſententia & mihi eatenus probatur, quatenus nulla appareat conjectura in lege vel ſtatuto, quæ ſuadeat per capitis, vel capitalem pœnam ſignificari mortis pœnam: tum quia legum interpretatione potius molliendæ ſunt pœnæ, quam aſperandæ, *l. Interpretatione 42. ff. de pœnis, & can. Pœna 18. de pœnitentia, diſtinct. 1.* tum quia in obſcuris ſemper id, quod minimum eſt, ſequimur, *d. l. Semper 9. ff. de reg. jur.* quodque in pœnalibus cauſis benignior interpretatio fieri debet, *l. Factum 155. §. ult. ff. d. t.* tum etiam quia in ambigua voce legis, ea potius accipienda eſt ſignificatio, quæ vitio caret, *l. in ambigua 19. ff. de legib.* at vitio non caret ſignificatio capitalis pœnæ, ſi eam de ultimo ſupplicio accipere quis velit in lege quadam, quæ loquitur de crimine levi, cum pœna delicto par eſſe debeat, *Perſpiciendum 11. in prin. ff. de pœnis*: tum poſtremò quia ſi publico in judicio aliquis de vi publica & privata accuſatus ſit, condemnatio ſimpliciter facta, intelligenda eſt de pœna legis Juliæ de vi privata, quæ eſt publicatio tertiæ partis bonorum, non de pœna legis Juliæ de vi publica, quæ eſt deportatio, *l. Si præſes 32. ff. de pœnis, junct. l. 1. in prin. ff. ad leg. Iul.*

de

de vi privat. & *l. Qui dolo 10. §. ult. ff. ad leg. Iul. de vi public.*

Quod attinet leges, quibus contrarium doceri contendunt nonnulli, nihil certè negocii faciunt illæ. *Nam in l. Sed ſi ff. in* 9 *prin. ff. de bon. demnator.* capite punire non eſt punire pœna mortis, ſed pœna metalli, ſervitutis, & bonorum, ut arguunt inprimis verba hæc, QUASI MORTUA SIT.

In l. 3. ſ. Et is qui; 11. §. In libello 15. §. Qui 10 *ſeditionem,* & *l. ſeq. §. 1.* & *2. l. 5. §. 1.* & *ſ. 3. l. 6. §. 1. 2. 4.* & *7. ff. de re militari,* capitis pœna ideo ultimum ſignificat ſupplicium, quod propter exempla rigidiorem oportet eſſe militiæ diſciplinam.

Sic *in l. ult. ff. de rer. diviſ.* capitis pœnam interpretari poſſumus de pœna mortis ea ex cauſa, quod hoſtile eſt, & abominandum, violare civitatis muros, aut eos admotis ſcalis aſcendere.

Similiter *in l. Qui cum maior 14. §. Si libertus, ff. de bonis libertor.* capitis pœna eſt ultimum ſupplicium ideo, quia per calumniam aliquem majeſtatis accuſare, crimen eiuſmodi eſt, quod continet pœnam talionis, *l. ult. C. de calumniatorib.* & *l. 3. ff. de prævaricat.* Cum ergo majeſtatis pœna ſit pœna mortis, *l. Quisquis 5. in fin. principii C. ad leg. Iul. majeſt.* eadem quoq; pœna convertitur in eum, qui aliquem per calumniam majeſtatis accuſavit.

Adhæc capitis pœna ſignificatur mortis pœna *in l. 2. C. Quæ res ex portari non debeant, & l. 1. C. de cohortalib. libr. 12.* non vi verborum POENA CAPITALIS, aut, CAPITE PUNIRI, ſed propter conditionem criminis, de quo ibi agitur. Prior enim locus eſt de eo, qui in perniciem populi Romani arma, aut annonam extra imperium Barbaris adducit; quod cum hoſtile ſit, meritò etiam ultimo vindicatur ſupplicio. Poſteriori loco agitur de eo, qui ſibi magiſtratus aſſumit poteſtatem, quod cum majeſtatis ſit crimen, *l. 3. verſ. Quive magiſtratus, ff. de leg. Iul. majeſtat.* non injuriâ coercetur mortis pœna, *l. Quiſquis 5 in fin. prin. C. ad leg. Iul. majeſt. & §. Publica autem judicia, Inſtit. de publ. judic.*

Præterea verbis, Capite puniendus, *in l. Cum autem, 23. §. Excipitur etiam ille, 2. ff. de ædilit. edict.* ſignificatur quidem ultimum ſupplicium, at non eò, quòd una eaque ſola ſit eorum verborum ſignificatiò, ſed quod in ſervum, de quo ibi agitur, non cadit deportationis pœna, *l. Hos accuſare 12. §. Omnibus, ff. de accuſat.* quæ & ipſa capitalis eſt, *d. § 2. Inſtit. de publ. jud.*

Neutiquam etiam novæ illius opinionis veritatem probat text. *in l. Raptores 54. in prin. & fin. C. de Epiſcop. & cler. l. ult. in in fin. C. Quæ res venire non poſſunt, & l. Quoniam*

6. ibi,

6. ibi, ſupplicium capitale C. ad leg. Iul. de vi publ. Cum non ſimpliciter de capitis, ſive capitali pœna loquantur ea loca, ſed de capitis ſupplicio: qua ſupplicii voce mortis ſignificatur pœna, *d. l. 2. C de commerciis & mercatorib.*

Quod attinet *l. ubicunq; 11. C. de hæretic. & manichæis*, nihil dubitandum, quin ibi capite damnare ſit ultimo affici ſupplicio, ſiquidem *l. 4 §. 4 l. 5. verſ. Manichæis etiam, & l. Quicunque 8. §. 5. verſ ultimo etiam ſupplicio, C. d. t.* arguant manifeſtò quod manichęorum pœna ultimum ſit ſupplicium.

Nihil quoque firmamenti adfert novæ opinioni text. *in l. 1. ibi, Capite puniatur, C. de Eunuchis.* Is enim qui Eunuchos fecit, ſi ſervus ſit, mortis plectitur pœna; ſin liber homo honeſtus, deportatione tantum coercetur. *l. 4. §. ult. junct. l. 3. §. pen. ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* ita ut capite puniri dicatur *in d. l. 1. C. de Eunuchis,* non ſolum, qui ultimo afficitur ſupplicio, ſed & qui deportatione coercetur.

Poſtremò in confirmationem opinionis ſuæ recentiores adducunt *l. 3. §. ult. ibi, capite punire, l pen. ibi, capite puniuntur, ff. ad l. Cornel. de ſicar. l. Lex Iulia, 7. in fin. ibi, capite plecti debent, ff. de leg. Iul. Repetundar. l. 4. ibi, Pœna capitis irrogatur, ff. de pœnis l. ult.*

ult. ff. de incend. ruina, naufrag. l. Capitalium 28 § Venerarii, ibi, capite puniendi ſunt ff. de pœnis, l. ult. in prin. ibi, Capitali pœna C. ſi reus, vel accuſator mortuus fuerit, & §. Item lex Iulia de vi, verſ. Sin autem, ibi, capite puniuntur, junct. verſ. praecedenti, Inſtit. de publ. Iud.

Sed his locis omnibus per verba, CAPITE PUNIRI, CAPITE PLECTI, PŒNA CAPITIS, CAPITALI PŒNA, ideo ultimum duntaxat ſignificatur ſupplicium, quod verba illa opponuntur ibi nominatim deportationi, quæ cum ipſa etiam pœna capitalis ſit neceſſum eſt, ut dictis illis verbis ſignificetur ſpecialiter pœna tantum mortis. Sic licet ſtipulatio, itemque mutuum propriè contractus ſint, quia tamen opponuntur contractui, & ſignificantur verbo ACTUS *in l. 2 §. 1. ibi quid cum his actum, contractumve ſit. ff. de capite minutis*, idcirco appellatio contractus denotat ibi duntaxat eos contractus, qui utrinque obligationem conſtituunt, ut docet Juriſconſultus Ulpian. *in l. Labeo 19. ff. de verb. ſignif.*

Quod autem in jure noſtro verba, Pœna capitis, non ultimum ſupplicium, ſed deportatio tantum ſignificetur, ſi eorum verborum aut ſimilium ſimpliciter mentio fiat, arguit textus *in l. Hos accuſare 12. §. Omnibus, verſ. Idem dicendum, ff. de accuſationib.*

Et

Et ſanè quia reus capitalis, & capitis accuſatus, in libris noſtri juris dicitur ille, qui plectendus eſt vel morte, vel exilio, ideſt deportatione, *l. 4. in prin. ff. ſi quis cautionib. judicio ſiſtendi cauſ. fact. l. Eum 10. ff. de jure patronatus, l. Edicto 13. ff. de bonor. poſſ. l. Qui cum major, 14. §. Is demum 3. ff. de bonis libertor.* Quod item capitalia appellantur judicia non modò ea, ex quibus pœna mors eſt, ſed & ea, ex quibus pœna eſt exilium, id eſt, deportatio, quæ in locum aquæ & ignis interdictionis ſucceſſit, *l. 2. ff. de publ. jud. & § 2. Inſtit. d. t.* In dubio autem cũ pœnales leges de leviori, & mitiori intelligendæ ſint pœna, ut variis ſupra oſtendi argumentis, patet inde, per capitis, ſive capitalem pœnam, in lege, vel ſtatuto ſignificari in ambiguo ſive dubio pœnam duntaxat deportationis, non mortis pœnam.

In dubio, inquam, & ambiguo. Cum enim vel ex eadem lege, aut ſtatuto, vel aliunde patet, mortis pœnam denotari, ceſſat meritò hæc ſententia à Dd. communiter recepta, ut quæ ad certam legis mentem nihil pertinet.

Quod attinet membri mutilationẽ, itemque fuſtigationem, & relegationem, licet has etiam pœnas quidam capitalibus connumerent pœnis, ut ſuprà oſtendi, eas tamen 11

hui-

huius eſſe generis dicendum non eſt: ſiquidem in jure noſtro ſpecies tantum tres ſint pœnæ capitalis: una quæ vitam adimit, altera, quæ libertatem tollit, ut metalli coercitio, tertia, quæ jura civitatis eripit, ut exilium, quod eſt deportatio, *l. 2. in prin. l. Capitalium 28 in prin. junct. l. Aut damnum 8. §. Eſt pœna 4. ff. de pœnis l. 2. verſ Capitalia, ff. de publ. jud. & §. 2. verſ. Capitalia dicimus Inſtit. d t. & l Licet, 103. Vbi alciat. & Ioan. Gœddæ. ff. de verb. ſignif.*

12 Videamus nunc de ſententia *d. l. un. C. de famoſ. libell.* Hac in lege Valentinianus & valens Impp. capitali ſententiæ ſubjugari, & plecti pœnâ capitali autorem, & propagatorem famoſi libelli jubent. Hanc autem Imperatoriam ſanctionem alii aliter interpretantur. Quidam de mortis pœna eam ſimpliciter accipiunt, & quidem de amputatione capitis, Ang. Pruſin. *ibidem* Damhonder. *in praxi rer crim. cap. 125. num. 2. ibi, Puniendi ſunt capitaliter, & ultore gladio, Menoch. lib. 2. de arbitr. jud. cent. 3. caſu 263 num. 35. Iul. Clar. lib. 5. ſententiar. §. fin. quæſt. 68. numer. 28.* Chilianus Kônig *in practica ſua cap. 59. verſ 1.*

Cæterum Mynſing *Reſp. 59. num. 48. 49. & 50* arbitratur, cum dubium ſit, an conſtitutio l. un. C. de famoſ. libell. per capitalem pœnam ſignificet mortis, vel aliam pœnam,

de

de leviori pœna eam accipi debere, per Dd. receptam regulam, quod pœnalem conſtitutionem in dubio exaudiri conveniat de alia, quàm mortis pœna, Menoch. *de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 49. num. 3. & alii, quos recenſui, & ſequutus fui Tractat. meo de juriſdict. cap. 5. num. 48.*

Plerique verò capitalem pœnam in d. l. un C. de famoſ. libell. ſimiliter interpretantur de pœna quidem mortis, ſed eo tantum caſu, quo famoſo in libello imputatum eſt alicui crimen, quod mortis meretur pœnam, *gl. in d. l. un. in verb. Si quis famoſum, in fin. Bonifacius de vitellinis, Tractat. de Maleficiis, Rubr. de famoſ. libell. num. 5. Gomez Tomo 3. comment. cap. 6. de Injuria, nu. 1. verſ. unum tamen eſt*, Joachim. à Beuſt. *in l. Nam poſteaquam, §. Si damnetur, ff. de jurejurand. pag. 177. cap. Quæ ſit pœna ſcribantis famoſum libellum verſ. Quod eſt verum, &c.* Petr. Heigius *quæſt. 31. num. 45. part. 2.* Johan. Dauth. *de Teſtamentis, num. 227.*

Atque hanc & ego amplector opinionem, & capitalem ſententiam, ac pœnam capitalem ſimiliter interpretor de ultimo tantum ſupplicio: planeque reor, Impp. ea in lege de illo ſolum famoſo loqui libello, in quo quis alterius inſectatus eſt famam, objiciendo ei crimen mortis pœna dignum. In hanc me ducit ſententiam ratio duplex. 13

Pri-

Prior eſt, quod Impp. aiunt, SALUTIS PUBLICÆ CURAM GERERE EUM; qui crimen non per famoſum libellum publicat, ſed magiſtratui ore proprio edicit. Altera eſt, quod laudem maximam, & præmium pollicentur ei, qui crimen & eius autorem ad magiſtratum defert. Unde evincitur, eam ſanctionem editam eſſe de graviſſimo quodam crimine, cuius proditio & indicatio Reipublic. magnoperè expediat. Quod ſi non appareret iſthæc conjectura in d. l. un. interpretarer in ea ſimpliciter capitalem pœnam, de pœna deportationis; non mortis pœna, per rationes ſuprà adductas.

Juvat hanc opinionem meam; quod in Cod. Theodoſ. *eod. Tit. de famoſis libel.* Conſtant. Imp. ſupplicium convertendum eſſe in autorem famoſi libelli oſtendit; qua ſupplicii voce ſimpliciter poſita mortis pœna ut plurimum ſignificatur. *l. 2. C. de commerciis & mercatorib. l. Raptores 54. in prin. & fin. C. de Epiſcop. & cler. l. ult. C. de veteris numiſmat. poteſt juncta l. 2. C. de falſa monet.* Confert deniq; quod *in d. l. un. C. de famoſ. libell.* Impp. definiunt, ut famoſi libelli reus capitali ſententiæ ſubjugetur: quo loquendi modo juris autores mortis ſupplicium ſignificant, d. l. 2. C. de commerciis, & mercatorib.

Digitized by Google

Ut autem locus ſit pœnæ mortis ob famoſum libellum, ex d. l. un. Tria ſimul concurrere debent: Unum eſt, ut nomen ipſi libello non ſit ad ſcriptum; alterum eſt, ut in eo imputatum ſit alicui crimen mortis pœna dignum: Tertium, ut dolo malo id factum ſit: quod poſtremum ſemper præſumitur, ut oſtendi ſuprà, cap. 1. Nihil autem refert, crimen illud verum ſit, an falſum, ut ſimiliter expoſui cap. 3. 14

Hæc dictæ legis pœna mortis in tantum abrogata non eſt per ſanctionem Carolinam, artic. 110. ut etiam eâ confirmatam intelligamus ipſam, præterquam in eo, quod non eandem, ſed leviorem irrogat pœnam, ſi verum ſit objectum crimen. Nova ergo conſtitutio illa Carolina trahenda eſt ad d. l. un. C. de famoſ. libell. per text. *in l. Non eſt novum, 26. & duab. legib. ſeqq. ff. de legib.* 15

Neque etiam expreſsè & nominatim ſublata eſt ea mortis pœna per noviſſimas Imperii conſtitutiones, Durch die Reichsabſchid de quibus ſuprà hoc eodem capite memini. Unde adhuc durare cenſeri debet, per regulam *in l. Præcipimus 32. in fin. C. de appellat.* Maximè cum referant ſe novæ illæ conſtitutiones ad priora jura, his verbis: Vermög der Recht / Reichsabſchid zu Augſpurg/ *de anno 1548. Tit.* Von Schmechſchrifften

pag.

pag. 97. & Reichs abſchid zu Franckfurt *de anno 1577. Tit. 35.*

17 Quod ſi famoſo in libello, cui autoris nō eſt adſcriptum nomen, innocenti alicui imputatum ſit crimen, cui non mortis, ſed alia propoſita eſt pœna, tunc eadem plecti pœnâ debet author illius famoſi libelli, qua diffamatus afficeretur, ſi crimen ei objectum verum probaretur, Peinliche Halßgerichts ordnung Kayſer Karls deß fünfften/ *dict. ardic. 110.* Idem ſentit etiam *gl. in d. l. un. in verb. ſi quis famoſum C. de famoſ. libell.* ut & Bonifacius de Vitellinis, *Tractat. de maleficiis, Rubr. de famoſ. libell. num. 5. Item* Petr. Heig. *dict. quæſt. 31. nu. 64.*

At obſervandum, quod Carolina ſanctio, quatenus de pœnæ ſimilitudine loquitur, de famoſo agit libello, in quo & occultatum eſt Autoris nomen, & innocenti falſò crimen aliquod eſt objectum.

18 Sin verum contineat crimen famoſus libellus, arbitrariam pœnam eius authori non adſcripto, eadem conſtitutio Carolina imponi jubet. Unde hoc caſu lex Carolina corrigit pro parte d. l. un. C. de famoſ. libel. & l. 1. C. Theod. eod tit. quæ capitis, id eſt mortis pœnam irrogant etiam ei, qui verum crimen extra judicium alicui per famoſum imputavit libellum. Id quod ſentit etiam Didac. Covar. *lib. 1. Variar. reſolut. cap. XI. num.*

num. 7. verſ. ſecundò autem ratione. Weſenb. *conſil. 22. num. 5. circa finem*, & Petr. Heig. *part. 2. quæſtionum juris, quæſt. 31. numer. 43.* Pœna autem illa extraordinaria vel fuſtigatio, eſt, vel relegatio, vel Carcer, Joachim à Beuſt *in d. l. Nam poſteaquam*, §. *Si damnetur, ff. de injur. pag. 177.*

Hæc autem Carolina lex, cum per Receſſus Imperii, antea citatos, non ſit abolita nominatim, ſed potius confirmata, cum illi referant ſe ad priora jura his verbis; Vermög der Recht/ ſuum vigorem adhuc obtinere putanda eſt, *Per text. in d. l. Præcipimus 32. §. ult. C. de appellat.* 19

Quodſi autor famoſi libelli nomen ſuum inſeruerit, qua pœnâ plectendus ſit, quæri poteſt? De hoc caſu cum neque d. l. un. C. de famoſ. libell. neque ſanctio Carolina agat expreſſè: Receſſus autem Imperii, de quibus antea, generaliter diſponant, Daß der Author, Wie auch der außbringer einer Schmachſchrifft/ Buchs oder gemelds/ vermög der Rechten/ Und je nach geſtallt/ vnd gelegenheit der ſachen geſtrafft werden ſolle/ in ea planè ſum ſententia, quòd hoc etiam caſu locus ſit arbitrariæ pœnæ, ut quæ etiam verbis Receſſuum Imperii modò adductis apertè ſignificatur. 20

Et licet hæc non indicaretur pœna noviſſimo illo jure, attamen quia & ille eſt famo-

h ſus

ſus libellus, cui autor nomen ſuum adſcripſit, ut ex poſui ſuprà, cap. 2. nec uſpiam in jure noſtro huius libelli certa pœna eſt definita, judicis arbitrio relicta cenſeri debet, per *text in l. 1 §. 1. verſ. Quibus nulla, ff. de Effractorib.* Ubi Juriſconſultus, quibus, ait, nulla ſpecialis pœna reſcriptis Principaliter impoſita eſt, idcirco cauſa cognita liberum erit arbitrium ſtatuendi ei, qui cognoſcit. Atque hanc etiam amplecti ſententiam poſt alios videntur Gomez. *Tomo 3. commentar. cap. 6. de Injuria, num. 1. in fin.* Weſenbec. *in Paratit ff. de injuriis, num. 19. verſ. Alias verò mitius,* & Menoch. *de arbitr. jud. lib. 2. cent. 3. caſ. 263. nu. ult.*

21 Eſt & illud hic monendum, quòd Carolina ſanctio de pœna duntaxat authoris famoſi libelli agit, nec meminit etiam illius, qui famoſum libellum ab alio ſcriptum, aut deſcriptum alicubi invenit, & eius vim aliis manifeſtavit. At quia nominatim corrigit dictā l. un. C. de famoſ. libell. in eo, qui verum alicui famoſo in libello crimen objecit, at non ſimul corrigit eandem legem in eo, quòd & authorem, & propagatorem famoſi libelli eadem pœna plecti jubet, veriſimile eſt, quod ſuo in vigore hac in parte reliquerit eam legem, per text. *in d. l. Præcipimus 32. § ult. C. de appellat.* Receſſus quoque Imperii

perii utriuſque mentionem faciunt, & autoris & propagatoris, proinde cum præcipiant, ut coërceatur uterque ſecundum jura, Vermög der Rechten / eandem pœnam utrique definiunt, quæ propoſita eſt *in d. l. un.* & ſanctione Carolina: etiamſi autorem oſtendere non poſſit propagator, nec quiſquã de autore conſtet. Nec immeritò. Qui enim libellum famoſum profert, licet ſe eum inveniſſe dicat, quaſi autor, & verus autor præſumitur, niſi oſtendat eum, à quo habuerit, Cephal. *conſil. 341. num. 27. cum multis ſeqq.* Menoch. *lib. 2. de arbitr. jud. cent. 3. caſu 263. num 38. & ſeqq.* Plac. *in Epit. delict. lib. 1. cap. 3. num. 2.*

Procedi quoque poteſt adverſus quaſi autorem, cæteris paribus, ad torturam, Cephal. *dict. conſil. 341. numer. 30.* Weſenbec. *conſil. 22. num. 11.* niſi objectum fuerit aliquid non punibile, Menoch. *dict. caſu, 263. num. 43.* Aut reus ſeſe probationi offerat, vera eſſe objecta, Weſenbec. *dict. conſil. 22. num. 15.*

Arbitrariam pœnam & tunc infligendam judico, quando crimen aliquod extraordinarium, cui certa non eſt definita pœna, famoſo in libello imputatum eſt alicui, arg. ſanctionis Carolinæ dict. artic. 110. Cuiuſmodi crimen eſt expilatę hereditatis crimen, 22

Digitized by Google

l. 1. & l. 3. ff. Expilatæ heredit. Item crimen ſtellioratus, & termini motio, *l. 1 l. 2. verſ. De pœna tamen, & l. ult. in fin. ff. de termino moto*, tum etiam prævaricatio, *l. 2. l. 3. ff. de prævaricat. &c.*

23 Quinetiam licet ex d. l. un. C. de famoſ. libell. & dict. ordinat. Carolina artic. 110. talionis pœna certis caſibus imponi jubeatur autori, & propagatori famoſi libelli: ſunt tamen qui putant, moribus receptum eſſe, ut omni caſu famoſi libelli pœna hodie ſit arbitraria. Sic Jul. Clar. *lib. 5. ſentient. §. fin. quæſt. 68. num. 25.* Ego, ait, in practica nunquam vidi ſervari, ut propter famoſum libellum aliquis ultimo ſupplicio afficeretur: ſed ſemper vidi imponi extraordinariam pœnam, puta fuſtigationis, ictum funis, & ad ſummum pœnam triremium.

Ang. quoque Peruſinus in d. l. un. C. de famoſ. libell. ſcribit de quodam Maſſo de Placambiis, qui Bononiæ ſuper altari Palatii clandeſtinè poſuerat quandam diffamatoriam Schedam, ſcriptam in Regiminis Bononienſis infamiam; qui licet ob id decapitari debuerit per d. l. un. eam tamen pœnam converſam fuiſſe in pœnam pecuniariam duorum millium ducatorum.

24 Cæterum quamvis hanc conſuetudinem Italia, vel quædam alia receperit gens, eam tamen ſimiliter ubique in Romano Imperio rece-

receptam eſſe, haud facilè ſapiens aliquis dixerit; tum quia conſuetudo, ut res facti probanda eſt, *cap. 1. in fin. Ubi Canoniſtæ, extra de conſuetud:* tum etiam, quia non modò Carolina ſanctio, ſed & receſſus Imperii recentiores Juſtinianeum jus de famoſis libellis cõprobant, quemadmodum ſuprà oſtendi; ut veriſimile non ſit, nova illa jura ab Imperatoribus & ſtatibus Imperii promulgata moribus populi Romani, vel nunquam recepta, vel admiſſa quidem, poſtmodum verò temerè abrogata eſſe: tum poſtremò, quia licet etiam Collegium aliquod Juriſconſultorum, vel alii plures juris Doctores atteſtentur, conſuetudine aliquid receptum eſſe, illis tamen fides haberi non debet, Alex *in l. Poſt dotem 41. num. 21. ff. ſolut. matr.* Jaſ. *in l. De quibus 31. num. 89. ff. de legib.* Schrad. *Tract. feudali part. 1. quæſt. 1. num. 5.* ut proinde tutius fuerit in decernenda famoſi libelli pœna jus ſcriptum ſequi.

Ut autem ad cuiuſque alterius, ita & ad huius conſuetudinis probationem quatuor ſubſtantialia requiſita demonſtrari neceſſe eſt, quæ ſunt tacitus conſenſus, uſus populi, & quidẽ frequentia uſus, temporis diuturnitas, & ratio probabilis, *l. De quibus. 32. & duab. ſeqq. ff. de legib. §. Sine ſcripto, Inſtit. de jure naturali, gent. & civil. l. 1. l. 2. C. Quæ ſit longa conſuetud. l. 3. C. de ædificiis privatis, l.*

ſine 32. §. pen. ff. de adminiſtr. & peric. tutor. cap. ult. extra de conſuetud. Cyn. in d. l. 2. nu. 8. & 15. C. Quæ ſit longa conſuetud. Bart. in l. De quibus num. 11. & ibi Alberic. num. 52. ff. de legib. Dec. conſil. 482. num. 27. Panor. conſil. 53. num. 4. part. 2. Marian. Socin. jun. conſil. 92. nu. 18. vol. 4. Franciſc. Burſat. conſil. 16. nu. 35. vol. 1. Franciſc. Marcus deciſ. 255. nu. 1 part. 1.

26 Nonnulli in ea quoque ſunt opinione, omnium delictorum pœnas hodie arbitrarias eſſe, etiam jure Juſtinianeo, *per text. in l. Hodie 13. ff. de pœnis*, Sed errori ſe implicant graviſſimo: ſiquidem ea lex de criminibus ſolum extraordinariis nominatim loquatur, ut arguunt eius legis verba hæc: QUI EXTRAORDINEM DE CRIMINE COGNOSCIT.

27 Etſi verò Judex legis pœnam ſequi præciſè teneatur, *l. 1. § Quorum 4 ff. ad Senatus conſultum Turpill. l. Ordine 15. in fin. prin. ff. ad Municipalem, l. Aliud fraus eſt 131. §. 1. ff. de verb. ſig. l. Si ſtipulatio, 19. ff. de verb. Obligat. l. Servos 8. C. ad leg. Iul. de vi pub. vel privat. l. 1. c. de defenſorib. lib. 12. l. ult. C. Ne ſacrum baptiſma iteratur*:

28 Certis tamen & juſtis rationibus motus mitiorem ſententiam dicere poteſt, *l. 3. C. Ex quib. cauſ. infam. irrog. l. Perſpiciendum, 11. in prin. l. Aut facta 16. §. 1. & ſeqq. ff. de pœnis, l. Auxilium 37. §. 1. verſ. In delictis, ff de minorib.*

Digitized by Google

norib. l. 6. in prin. ff. ad leg. Iul. Peculat. Tiraquel. de pœnis legum temper. aut remittend.

Hinc etiam in cauſa famoſi libelli poteſt Judex capitalem, aliamque pœnam lege definitam juſta ex cauſa mutare, ac minuere, ut ſentit in terminis Mynſing. *Reſponſ. 59. num. 51. deced. 6.* Collegium quoque facultatis juridicæ in alma hac Academia Tubingenſi aliquando cenſuit, quendam Reum de famoſo libello accuſatum in carcere tribus ſeptimanis pane & aqua cibandum, & inſuper mulctandum 50. libris denariorum Illuſtriſſimo Principi noſtro ſolvendis. 29

Non ſolum autem Judex quandoque minuere, ſed & augere interdum ex cauſa poteſt famoſi libelli pœnam: ut ſi ad Illuſtris alicuius perſonæ infamiam libellus ille pertineat; ſicuti aliquando etiam in Principum infamiam famoſi libelli prodeunt, Reichs. abſchid zu Erffurt de anno 1567. §. Demnach ſerrer/ pag. 645. quo caſu aſperius puniri poteſt autor, itemque propalator famoſi libelli, quàm ſi in privatum ille editus eſſet, *d. l. Aut facta, 16. §. Perſona 3. ff. de pœnis.* Petr. Heig. *quæſt. 31. n. 53. & ſeq. part 2.* Ubi tamen addit exemplum mitioris pœnæ famoſi libelli in Principũ infamiam conditi: ac ait, ꝙ animatverterit, cõditores & propalatores eiuſmodi libel- 30

libelli, vel fuſtigatione, vel relegatione fuiſſe notatos, eò quòd Principes illi de rigore multum remiſerint, cum magnus animus ſuſurris iſtis lædi non poſſit. *Auguſtus quoque & Tiberius paſquillos non magni facerunt, ut refert Sueton. in Auguſto, cap. 55. & in Tiberio, cap. 28. 31. Ratio petatur ex traditis per Tiraquellum Tractat. de nobilitate, cap. 37. num. 127.* Addatur quoque exemplum Theodoſii ex hiſtoria tripartita, *lib. 9. capit. 32. vide &* Menoch *libr. 2. de arbitr. jud. cent. 4. caſu 377. num. 8.*

31 Jure Canonico ſcribens aut pandens famoſum libellum flagellandus eſt, & anathematizandus, *Can de prima, Can. Qui in alterius, & Can. ſi qui 5. quæſt. 1. Proſp. Farinac. poſt alios, quos citat in praxi & Theor. Criminal. part. 3. libr. 3. quæſt. 105. numer. 430. & 435.*

32 Eſt & illud hîc monendum, quod excudentes libros famoſos, ut & vendentes eos excuſos, non modò capi, & carceri includi, ac de authore tormentis interrogari, ſed & pœna corporali, aut pecuniaria, itemque amiſſione librorum eorundem, & juris excudendi in poſterum libros puniri jubentur, Reichsabſchid zu Agſpurg *de anno 1530. mihi pag. 209. fac. 2. & de anno 1548. Titul.* Von Schmächſchrifften / *pag. 66. fac. 2.* Reichsabſchid zu Speyr *de anno 1570. mihi pag. 43. §.* Zum

Zum andern & Reichsabſchid zu Franckfurt *de anno* 1577. *Tit.* 35. Von Buchtruckern ꝛc.

Adhæc condemnatus propter famoſum libellum inteſtabilis ex lege aſſe jubetur, *d. l. Lex Cornelia* 5. *§. Si quis librum* 9. *ff. de injur* Ita ut neque teſtamentum facere, neque ut teſtis ad teſtamentum adhiberi poſſit, *l. Is cui lege* 18. *§.* 1. *ff. Qui teſtam fac. poſſ.* Neque etiam alio quodam in negocio teſtimonium perhibere queat, *l. Ob carmen* 21. *in prin. ff. de teſtib.* 33

Quamvis autem Duaren. *ad Tit. ff. de injur. cap.* 5. & Weſenbec. *in §.* 2. *in verb. libellum, Inſtit. d. t.* ſcribant, quod olim hæc tantum fuerit pœna famoſi libelli, & præter eam nulla alia, exiſtimo tamen, quod hæc pœna ad aliam, vel corporalem vel pecuniariam ſemper acceſſerit pœnam, idque evincitur etiam ex textu *d. l.* 5 *§. Si quis librum,* 9. *ff. de injur.* Ubi Juriſconſultus Ulpian. ſi, ait, condemnatus ſit, qui id fecit, inteſtabilis ex lege eſſe jubetur. Condemnatum ergò ſequitur confeſtim ipſa inteſtabilitas, ut ita loquor. 34

Quod autem huius criminis reus in pœnam aliquam certam nominatim condemnetur, quando condemnatur, dubium eſt nullum, *per text. in l.* 2. *ff. de public. jud.* & *§.* 2. *Inſtit. eod.* ipſa verò condemnatio non fit nominatim in hanc pœnam, ut Reus condemnatus ſit inteſtabilis: ſed tacito ſaltem 35

jure efficitur inteſtabilis condemnatus ex ſola ſcilicet legis poteſtate, uti arguit abundè text. *in l. 1. verſ. Qui in judicio*, & *Tot. Tit. ff. de his qui not. infam.* Ang. quoque *in d. §. Si quis librum*, ſcribit, quòd huius criminis reus capitaliter condemnetur, & inteſtabilis efficiatur. Idem ſentit Menoch. dict. caſu *263. num. 35 cent. 3. lib. 2. de arbitr. judic.* & alii, quos refert, & ſequitur Farinac. *dict. quæſt. 105. num. 438.*

36 Ex prædictis haud obſcurè intelligitur, erroneum eſſe illorum judicium, qui crimen famoſi libelli non publicis, ſed privatis tantum delictis connumerandum putant. Ad quam obtinendam ſententiam duo adferri argumenta video; Unum eſt, quod delictum hoc tam in Pandectis, quàm in Inſtitutionibus, & Codice privatis delictis connumeretur: Alterum quod nulla lege cautum, aut conſtitutum ſit, ut injuria per famoſum libellum illata, publicum ſit delictum; quam tamen utramque rationem à veritate alienam exiſtimo.

Primam quod attinet rationem, nego planè, & pernego, uſquam in Pandectis, vel Inſtitutionibus, vel Codice crimen famoſi libelli inter privata ſolum recenſeri delicta.

Illud quidem omnibus patet, & æquè promptum eſt mihi, atque aliis, quod in Pandectis ſub l. 5. §. 9. & ſeqq. & l. ſeq. ff. de injuriis: tum

etiam

etiam in Inſtitutionib. ſub §. Injuria autem, verſ. vel ſi quis ad infamiam &c. d. t. tractatur quidem de famoſo etiam libello, at non accenſetur ibi crimen famoſi libelli privatis delictis. Aliud autem eſt, recenſeri famoſi libelli crimen inter delicta, ut eorum ſpecies quædam: aliud item ttactari de famoſo libello etiam ibi, ubi de privatis agitur delictis. Injuria numeratur & recenſetur inter delicta privata, ut ſpecies quædam in §. 1. Inſtitut. de oblig. quæ ex delict. naſc. & in l. 4. ff. de oblig. & act. Sed non omnis injuria eſt famoſus libellus.

InCodice etiam Titulo XXXV. de injuriis, confeſtim ſubjicitur Titulus de famoſis libellis, non quod, ut injuria ſimplex privatum eſt delictum, ita famoſi libelli crimen ſit delictum privatum: Alioqui ſequeretur, quod præcedentes, & ſequentes tituli ſint de privatis delictis, quod manifeſtiſſimè falſum eſt. Ideo autem Tit. de injuriis, item Titulus, vi bonor. raptorum proponuntur in Codice inter publica, & extraordinaria maleficia, quod ex his duobus delictis, ut ex quovis alio privato maleficio etiam criminaliter agi poteſt extra ordinem, *l. ult. ff. de privat. delict l. uit. ff. de furt. & l. ult. ff. de injur.* quodq; cum publicis, & extraordinariis judiciis ſæpe cõcurrunt ea, quę ſunt privata, de re familiari, & pecuniario damno *l 4. ff. de pub. jud. & l Sepul. 6. ff. de Sepulchro violat.*

Ex

Ex hac item cauſa, dictis locis, ubi de injuria ſimplici agitur, tractatur etiam de famoſo libello, quod læſus famoſo libello etiam privata injuriarum actione experiri poteſt contra autorem, & propagatorem eius libelli, *l. Quod Senatusconſultum 6. §. Cæterum, ff. de injur.*

Alterum argumentum, quo negatur ulla lege cautum eſſe, ut crimen famoſi libelli ſit publicum,, rejicitur textu apertiſſimo *in d. l. 5. §. ult. ibi, accuſatæ perſonæ, & l ſeq. in prin. ibi, publica quæſtione rem vindicare, & §. 1. ibi, publico judicio, ff. de injur.* Omnis accuſatio aut publico fit judicio, aut judicio extraordinario, non privato judicio, *l. 3. ff. de extraord. criminib. & tot. Tit. ff. de accuſat.* Ad privatum judicium pertinet actio, non accuſatio. Unde qui fatetur, quod per publicam quæſtionem ſignificetur accuſatio in d. l. 6. ff. de injur. fateri & illud neceſſe habet, quod ibidem non agatur de judicio privato. Et quia eadem in d. l. 6. Paulus Juriſconſultus diſertè oſtendit verbis expreſſis, quod ob famoſum libellum publico in judicio accuſatio inſtitui poſſit, dubium eſt nullum, ſed omnino certum, quod ſpeciali quadam lege judiciũ de famoſo libello publicum eſſe juſſum ſit. Ea autẽ lex eſt vel Senatuſconſultum, uti arguit text. *in d. l. 5. §. 10. & d. l 6. ff. de injur.* vel lex Cornelia, quæ de omnibus injuriis

pub-

publicum judicium introduxiſſe videtur, *per text. in l. Hos accuſare 12. § ult. ff. de accuſat. & ſentit. Cuiac.* ad Jul. Paul. *lib. 55. ad edict. in explicatione d. l. 6. ff. de injur.* Non poteſt defendi, quod dicitur, per quæſtionem publicam in d. l. 6. ff. d. t. ſignificari popularem actionem, quæ ex famoſo detur libello, ſi ei nomen diffamati adſcriptum non ſit. Actio enim popularis non eſt criminalis, ſed forenſis ſive civilis, ut arguit *l. 5. ff. de popularib. act.* At Reus famoſi libelli criminaliter accuſatur, & capitis pœna plectitur, ut ſupra expoſitum. Judicium ergo de famoſo libello criminaliter inſtitutum non eſt de privato delicto.

Hactenus de vindicatione famoſi libelli, quæ publico fit judicio per accuſationem. Privato judicio per actionem vindicatur famoſus libellus, quando diffamatus privatam 37
injuriarum actionem ex famoſo libello movet. Id quod facere poteſt, ſi publico prius non egerit judicio, *l. Quod Senatum 6. ff. de injuriis.*

Eſtque integrum alicui nonmodò æſtimatoria, ſed & recantatoria injuriarum experiri actione, Kayſerliche Cammergerichts Ordnung *part. 2. Tit. 28. §.* Und ſonderlich/ Atque has duas actiones eodem in libello cumulare, Mynſing. *cent. 2. obſer. 98.* Andr. Gayl. *lib. 1. obſerv. practic. obſerv. 65.* 38

Sed

39 Sed controverſa eſt quæſtio, ſitné annalis vel perpetua injuriarum actio ex famoſo libello nata? Et quia injuria hæc verbalis eſt, non realis, ut docui ſuprà *cap. 1. in fin.* conſequitur inde, quod juris tantùm prætorii ſit actio injuriarum æſtimatoria ex famoſo libello competens, *l. Si non convicii 5. C. de injur.* Cum prætor de omni injuria, etiam per famoſum libellum illata actionem injuriarum præbeat, *l. Item apud, 15. §. Generaliter 27. ff. d. t.*

40 Et licet hæc injuria gravior ſit, quàm quæ verbis ore prolatis infertur: proindeq; hoc reſpectu comparetur reali injuriæ *in d. l. Item Labeo 15. §. Itaque Prætor 44. ff. eod. tit.* quia tamen nulla civilis lex de hac injuria actionem concedit injuriarum æſtimatoriam, ſicuti de reali injuria eam quoque actionem tribuit civilis lex Cornelia, *l. Conſtitutionibus 37. §. 1. ff. de injur.* & Prætoriæ actiones plerumque annales ſunt, *§. 1. Inſtit. de perpet. & tempor. act.* evincitur inde, quod & æſtimatoria injuriarum actio ex famoſo libello ſit annalis, non perpetua: Id quod poſt Plotum conſil. *131. numer. 19. vol. 1. conſil. crim.* ſentit etiam Fachinæ. *lib. 9. controverſ. cap. 9.*

41 Non obſtat, quod ſcriptura actum habet permanentem. Nam actionis injuriarum ex lege Cornelia perpetuitatem æſtimamus & cenſe-

cenſemus non à ratione ipſius injuriæ, ſed à qualitate & conditione juris, legis ſcilicet Corneliæ, quæ ut civilis concedit perpetuam injuriarum actionem. Alioquin enim dicendum fuerit, quod & Prætoria injuriarum actio de reali injuria perpetua eſſet.

Nihil quoque refragatur, quod lex civilis famoſi libelli crimen coercet, *l. un. C. de famoſ. libell.* quo argumento utitur Weſenbec. conſil. *22. num. 7. in fin.* Ea namque lex non privatam injuriarum præbet actionem, ſed tantum publicum criminale judicium. 42

Cæterum quia uſu recepta eorum eſt ſen tentia, qui perpetuam cenſent etiam ſcriptæ injuriæ actionem, Andr. Gayl. *lib. 2. obſerv. practic. obſerv. 104. numer. 14* & Chilian. Kônig. *in practica ſua, cap. 59.* Compilator præjudiciorum Cameralium *in verb.* Injuria *pag. 154 verſ. Injuria picta vel ſcripta*; certè coram judiciorum ſubſelliis recedendum ab ea non eſt. 43

Reſtat tertia vindicandi famoſi libelli ratio, remedium ſcilicet retorſionis. Eſt autem retorſio verbalis injuriç in ipſummet injuriantem repulſio, in continenti propria authoritate facta, jure permiſſa, *per l. 3. ibi, Atq; injuriam propulſemus, ubi Iaſon. n. 36. & Decius num. 36. ff. de Inſtit. & jur. l. Qui cum 14.*

§. Si

§. Si libertus, ff. de bonis libertor. & l. Quæ Omnia, 25. Ubi Bart. & alii, ff. de procurat. ſpeculat. Tit. de advocatis, num. 3. Felin. in c. Dilecti filii, num. 10. extra de except. Damhaud. *in praxi rer. crim. cap. 136. num. 6.* Wumbſer. *lib. practicar. obſer. Tit. 46. obſervat. 4. & 18.* Andr. Gayl. *lib. 2 obſerv 100. numer. 3. & ſeq.* Mynſing. *cent. 5. obſerv. 17.* Weſenb. *in paratit. Cod. Quando liceat unicuiq; ſine jud. ſe vind.* Menoch. *conſil. 107. num. 42.* Joan. Schneid. *ad §. 1. num. 8. & ſeq. Inſtit. de injur.* Schrader. *conſil. 40. num. 34. & ſeqq. Tomo 1. conſilior. varior. Iuriſconſultor. German.*

In continenti ut fiat retorſio neceſſe eſt:
45 ex intervallo fit illicitè, Menoch. *d. conſil. 107. num. 42.* Andr. Gayl. *d. lib. 2. obſerv. 101. num. 5.* Petr. Calefatus, *conſil 56. num. 9. 11. & 12. Timo. 2. conſilior. crim. operâ* Johan. Baptiſtæ *Zileti editor.* Jacob. Schultes *in additionibus ad Modeſtinum Piſtoris quæſt. 127. num. 38. & ſeq. part. 3.* Ubi alios in hanc ſententiam allegat.

46 In continenti autem & illa fieri dicitur retorſio, quæ licet ex intervallo poſt illatam fiat injuriam, eo tamen tempore, quo primum retorquendi poteſtatem habere potuit injuria qui affectus eſt; puta; quo primum cognovit ſibi factam eſſe injuriam, & quo Notarium ad inſinuandam Injurianti retorſionem, (ſi per ſcripturam & Notarium ſolen-

lenniter regerere velit injuriam) commodè habere potuit, *arg. l. 2. §. Confeſtim 43. ff. ad Senatusconſultum Tertillian. l. 1. ff. de diverſ. temporalib. præſcript. l. 1. ff. Quæ in fraud. creditor. l. Annus 6. ff. de calumniatorib. l. Cum ſex 55. ff. de edilit. edict. & l. 2. ff. Quis ordo in bonor. poſſeß. ſervetur, Confert etiam textus in l. Continuus 137. in prin. ff. de verb. Obligat. & textus in Ordinat. Cameræ Imperial. part. 2. Tit. 9. §. 1. ibi,* Zu friſcher That/ oder wann er ſeine Freund vnnd Helffer haben mag. Comprobat hanc ſententiam me ſecutus Dominus Collega D. Harpprechtus *in §. Hæc actio, num. 97. Inſtit. de injur.*

Diſpicere autem retorquens ſtudioſè debet, ne regerendo illatam injuriam defenſionis modum excedat. Poteſt quisquis licitè his ſe defendere verbis, TU MENTIRIS, *l. Quæ omnia 25. ff. de procurat. Schrader. dict. conſil. 40. num. 14. & ſeqq. Gayl. dict. obſerv. 100. nu. 3. &* Schneid. *in d. §. 1. num. 8. & 9.* 47

Et quamvis verbo, TU MENTIRIS, quis addere ex quorundam ſententia & illa poſſit verba: *ut fur, ut ſceleſtus, ut latro,* Mynſ. *cent. 5. obſerv. 17. num. 3. Schrader. dict. conſil. 40. num. 30. & ſeqq.* Ubi rationes non improbabiles videri poſſunt: Compilator tamen præjudiciorum Cameralium in verb. INIURIA, in fin. id improbare videtur. 48

Digitized by Google

In Camera, ait, cum quidam animo retorquendi & repellendi à ſe injuriam illatam dixiſſet, Du leugſt wie ein Ehrloſer Mann: Et deſuper fuiſſet conventus, quamvis mendacium adverſarii planè probaverat, tamen propter adjecta verba, Wie ein Ehrloſer Mann fuit condemnatus. At ex relatu alterius hæc memorat Compilator.

Plures hoc loco tractari poſſent de retorſionis jure quæſtiones: Quia verò eas ferè omnes Dominũ Socerum & Collegam meum D. Joan. Halbritterum in erudito, & eleganti ſuo tractatu de Retorſionibus in publicum brevi prodituro, ſumma diligentia propoſuiſſe, & pro ſuo ingenii acumine ſingulari perſpicuè expediviſſe cognovi: ac poſt eum quoque Dominus Collega D. Joan. Harpprechtus in commentario ſuo ad Tit. Inſtitut. de injuriis, ad §. Hæc actio, 12. cap. de retorſione, imitabili ſtylo ſedulitate magna complexus fuit, ne actum agere viderer, meam operam in ipſas conferre nolui.

Digitized by Google

CAP. Ult.

De promerito illius, qui autorem famoſi libelli indicat.

Summaria.

1. Qui autorem famoſi libelli indicat, laudem, & præmium meretur, ex bonis ipſius rei conſtituendū.
2. Præmio affici jubetur, qui proditorem patriæ capit, aut interficit.
3. Propoſitum & illi eſt præmium, qui ad Magiſtratum defert eum, qui ſaluti publicæ perniciem creaſſe dicitur.
4. Dandum eſt quoque præmium illi, qui reum falſæ monetæ accuſat.

Reliqua nobis eſt ultima cōmentarii noſtri inſpectio, de promerito indicantis autorem famoſi libelli. Eſt autem illius meritum laus, & præmium, quod ei conſtituitur judicis arbitrio ex bonis illius, qui edidit famoſum libellum, *l. Lex Cornelia 5. §. ult. ff. de injur.* Sic præmio & ille affici jubetur, qui proditorem patriæ capit, aut interficit, *l. Minimè 35. ff de religioſ. & ſumpt. fin.* Item ille, qui ad magiſtratum defert criminis reum, quem ſaluti publicæ perniciem creaſſe intelligit *d. l. un verſ Sed ſi quis C de famoſ. libell.* Similiter & illi præmium proponitur, qui reum falſæ monetæ accuſat, l. 2. C. de falſa moneta, & l. un. C. Theodoſ. eod. Tit. 1 2 3 4

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERUM MEMORABILIUM, QUAE IN HOC TRACTATU CONTINENTUR.

PRIOR NUMERUS PAGINAM, POSTERIOR SUMMARIUM denotat.

A.

Accidens cuiusvis rei vel eſt ſeparabile vel inſeparabile. 25.4

Actio injuriarum ante litem conteſtatam in bonis non eſt. 68.37.

Actio injuriarum ex L. Cornelia non competit patri, ſed filio. ibid. num. 38.

Actio injuriarum ex lege Cornel. competit contra eum, qui vel pulſando vel verberando vel vi domum domum alicuius introeundo, injuriam infert. ibid. numer. 39.

Actio injuriarum ad palinodiam inſtituta cū actione æſtimatoria cumulari in uno libello poteſt. 74.48. & 125.38.

Actio injuriarum ad vindictam Contumeliæ impoſitæ ſpectat. 75.51.

Actio injuriarum recantatoria Iuri Digeſtorum incognita, uſu demum introducta eſt. 82.62

Actio Injuriarum priva-

privata & Civilis ex famoſo libello moveri poteſt, ſi prius publico judicio non fuerit actum. 125. 37.

Actio injuriarum ex famoſo libello nata annalis ne vel perpetua ſit, quæſtio controverſa? 126. 39.

Actio injuriarũ perpetua non ex Injuriæ, ſed Iuris qualitate & Conditione æſtimanda eſt. 127. 41.

Accuſatio publica famoſi libelli, quandoq; neceſſaria eſt ob difficultatem probationis. 98. 3.

Animus Injuriandi fundamentum & ſubſtantia injuriæ eſt. 62. 26.

Authores famoſi libelli plerumq; nomina ſua occultant. 28. 7.

Author, Criminis ſive ore ſive literis ad Magiſtratum deferatur, nihil intereſt. 49. 15.

Author quaſi, famoſi libelli tortura quoq; ſubjici poteſt. 115. 21.

Authorem famoſi libelli indicans laudem & præmium ex bonis Rei conſtituendum meretur. 130. 1.

C.

CAlore inconſulto in rixam prolapſus ab injuriarum actione etiã poſt Calorem depoſitum non liberatur. 71. 43.

Carnifices, Cadaverum Excoriatores &c. licet nec Iuris nec facti infamiâ laborent, levi tamen maculâ aſperſi ſunt. 16. 22.

Carminis famoſi eadem eſt pœna, quæ famoſi libelli. 17. 26.

Carmen famoſum quid? 18. 27.

Carmen famoſum publicè decantatum, & libellus famoſus eiuſdem Conditionis cenſentur. ibid.

Cauſa qualibet etiam iniuſta à dolo expurgat. 62. 27.

Cauſâ ceſſante, non tamen ipſe ceſſat Effectus in Iure quæſito conſiſtens. 71. 44.

Conjecturis doceri poteſt, in cuius infamiam libellus famoſus ſit compoſitus, etiamſi nomen infamati expreſſum non ſit. 31. 12.

Conſtitutio Carolina Crim. art. 110. per Receſſus Imperii poſteriores abrogata non eſt. 113. 19.

Conſtitutio Carolina in d. art. 110. non corrigit l. un. C. de fam. libell. in eo, quod Authorem & Propagatorem famoſi libelli eadem pœna plecti jubet. 114. 21

Conſuetudine receptum eſſe, arbitrantur quidam, ut hodie omni Caſu pœna famoſi libelli arbitraria ſit, ſed falsô. 116. 23.

Conſuetudo hæc licet ab una aut altera gente recepta ſit, eam tamen protinus ubique in Imperio Roman. receptam eſſe, nemo ſapiens dixerit. 116. & ſeq. n. 24.

Conſuetudo quia res facti, probanda eſt. 117. 24.

Crimen calumniandi inter extremi judicii ſigna refertur. 4. 7.

Crimen omne vel Publici vel Extraordinarii judicii eſt. 11. 9.

Criminis veritas ſola non eximit aliquem à pœna famoſi libelli. 48. 14.

Crimen commiſſum Magiſtratui ne indicandum ſit Ore proprio, an vero ſcripto id fieri ſufficiat. 49. 15.

Cri-

Crimen objiciens alicui ex juſta cauſa ad negocii tamen utilitatem ſpectans, pœna libelli famoſi non tenetur. 61. 24.

Crimen verum objiciens aliquis ſuo Adverſario aut teſti eius in judicio, abſque cauſa, famoſi libelli, aut alius cuiusdam iniuriæ pænâ tenetur. 65. 31.

Crimen famoſi libelli publicis ne, vel privatis delictis annumerandum ſit, quæritur? & Erronea quorundam opinio refutatur. 122. 36.

Cumulatio actionis Injuriarum æſtimatoriæ & recantatoriæ non ex Iure ſcripto, ſed conſuetudine promanavit. 79. 57.

D.

DIffamator cogi poteſt, ut diffamati nomen ſignificet. 32. 13.

Diffamatorem ne filiusfamilias ex libello famoſo in eius infamiam ſcripto, nihilominus convenire poſſit, cui tamen pater iniuriam remiſit, quæritur. 67. 34.

G.

GEnera famoſi libelli tribus modis diſtinguuntur & quare? 36. 17. & 37. 18.

H.

HOnorem & famam alicuius depeculari grave ſcelus eſt. 3. 1.

Honeſto Viro nihil antiquius eſt Exiſtimatione ſuâ. ibid. numer. 2.

Honoris privatio gravior eſt oculorum amiſſione. ibid. n. 3.

Honorem potius, quam Compendium aliquod amittere qui mavult, dolo non caret. 4. 6.

I.

INfamiæ metus Viris honeſtis maior eſt, quã mortis. 3.5.

Infamiam importat omne id, quod per ſe ignominioſum eſt. 9.4.

Infamis aliquis fit tribus modis: Authoritate Iuris, facto proprio, & opinione hominũ 86.2.

Infames propriè qui? 86.3.

Infames propriè in triplici differentia ſunt. ibid. nu. 4.

Infamis propriè eſt, qui artis ludicræ cauſa in ſcenam prodit. 87.5.

Infamis eſt vidua, quæ intra tempus luctus alii nubit. ibid. n. 6.

Infamis eſt, qui quavè bina ſponſalia vel binas nuptias eodem tempore contrahit. ibid. numer. 7.

Infamis eſt fœmina, quæ corpore ſuo palàm quæſtum facit. ibid. n. 8.

Infamis efficitur in adulterio deprahenſa. ibid. n. 9.

Infamis eſt mas, omnis, ſponte muliebria paſſus. ibid. nu. 10.

Infamis eſt, qui directâ actione pro ſocio, depoſiti, mandati, tutelæ, propter dolum ſuum cõdemnatus eſt. ibid. n. 11.

Infamis eſt, qui actione furti, vi bonor. rapt. Iniuriarum aut de dolo, ſuo nomine condemnatus eſt. 88.13.

Infamis eſt mulier, Ventris nomine in poſſeſſionem miſſa, ſed ab Calumniam poſteâ detectam, condemnata. ibid. nu. 14.

Infamis eſt, qui de Crimine, mortis pœnam non ingerente, precio interveniente cum Adverſario pactus eſt. ibid. nu. 15.

Infamis non efficitur is, qui ab alio convitio qua-

dam vel famoſo libello oneratus, non vindicat injuriam ſibi illatam. ibid. n. 16.

Infamis propriè vel ipſo Iure nemo efficitur, niſi is, quem Ius nominatim notat. ibid. n. 17.

Infamiam Iuris per ſe non irrogat furtum, injuria, rapina, adulterium &c. niſi ob eiuſmodi delictum reus ſententiâ Iudicis condemnatus ſit. 89. 18.

Infames gravium & honeſtorum virorum opinione qui ſint? 90. 19.

Infamem non effici eum qui convitio vel famoſo libello affectus eſt, oſtenditur. 91. 20.

Infamia dedecoris & turpitudinis pœna quædam eſt, ibid. n. 21.

Innocens puniri non debet. ibid. n. 22.

Injuria quævis Corpori non illata, vel ad deformandam dignitatem, vel infamiam aſpergendã pertinere dicitur & quomodo. 93. 25.

Injuria realis alia, quàm verbalis ſeu famoſi libelli pœna eſt. 22. 29. in fin.

Injuria alicui facta non cenſetur, niſi infamati nomen exprimatur. 31. 11.

Injuria affectus in judicio, an confeſtim ex ea agere poſſit, pendente adhuc lite principali, an vero eam differre uſq; ad litem finitam teneatur? 65 32.

Injuriatus de Injuria in judicio illata convenire poteſt obtrectatorẽ, licet alienæ Iuris dictioni ſubjectus ſit. 66. 33

Injuriator liberetur-ne pœna famoſi libelli ſua pœnitentiâ 70. 41.

Injuria, per libellum famoſum illata, gravior eſt injuriâ eâ, quæ ore prolata eſt. 126 40.

Digitized by Google

Iudex pœnam Legis præciſe ſequi tenetur. 118. 27.

Iudex certis & juſtis rationibus motus mitiorem ſententiam dicere poteſt. ibid. nu. 28.

Iudex pœnam Capitalem aliamve Lege definitam juſta ex cauſa mutare ac minuere poteſt. 119. 29.

Iudex interdum quoque famoſi libelli pœnam ex cauſa augere poteſt. ibid. numer. 30.

Iura nova antiquo Iuri contraria ſtrictè accipienda ſunt. 60. 52.

Iure veteri, Novo & Noviſſimo concurrentibus, L L. priores ad poſteriores, & contrà, trahenda ſunt. 99 4.

Ius ſibi ipſi dicens, atque hoc ipſo Iuris autoritatem negligens, Legis & Magiſtratus auxilio indignum ſe reddit. 75. 52.

L.

L. pen. C. ad Secundum Orphit. ſenſus. 14. 15.

L. 18. in princ. ϖ. de iniur. declaratur. 49. 16.

L. Si quis 12. ϖ. de iniur. l. 18. §. 7. l. 44. ϖ. de Iureiur. exponuntur. 63. 30.

L. 5. in princ. ϖ. de bon. damn. aperitur ſenſus. 103. 9.

In L. 3. §. 11. §. 15. §. 19. & l. ſeq. §. 1. & 2. l. 5. §. 1. & 3. l. 6. §. 2. 2. 4. & 7. ϖ. de re milit. pœna capitis cur deſignetur ultimum ſupplicium? ibid. n. 10.

In l. ult. ϖ. de Rer. diviſ. Capitis pœna cur de pœna mortis accipi debeat? ibid.

In l. 14. §. Si libertus. ϖ. de

ϖ. de bon. libert. l. 2. C. quæ res expart. &c. l. 1. C. de Cohortal. lib. 12. l. 23. ſ. 2. ϖ. de Ædil. Ed. quare & quomodo mortis pœna ſignificetur ibid. & pag. ſeq.

In l. 54. in princ. & fin. C. de Epiſ. & Cler. l. ult. in f. C. quæ res vend. non poſſ. l. 6. C. ad L. Iul. de vi publ. l. 11. C. de hæretic. l. 1. C. de Eunuch. qualis pœna Capitis deſignetur? 105. 10.

L. 3. §. ult. l. pen. ϖ. ad L. Corn. de Sicar. l. 7. in fin. ϖ. de l. Iul. repet. l. 4. ϖ. de pœn. &c. qualem Capitis pœnam ſignificent. 106. 10.

L. un. C. de fam. libell. quoad pœnam ibi denotatam variè interpretantur. DD. 108. 12.

L. un. C. de fam. libell. ſub pœna denotat ultimum ſupplicium. 109. 13.

Dicta l. un. non præbet Civilem Injuriarum actionem licet alii ſecus ſentiant. 127. 42.

Libellos famoſos, Carmina famoſa, verſus famoſos &c. qui fabricant, hos L L. dignis proſequuntur pœnis. 4. 8.

Libellus famoſus definitur. 7. 1.

Libellus famoſus eſt ſcriptura. 8. 3.

Libellus famoſus ſine dolo non eſt. 9. 5.

Libellus famoſus pandi poteſt ſine animo malo. 10. 7.

Libellus famoſus ab alia Injuria ſcripta differt. 11. 8.

Libellus ne famoſus ſit, in quo quis hominem aliquem Criminoſum aut ſceleſtum appellat 8 ibid. nu. 9.

Libellus ne famoſus ſit, ſi quis ſcripto alicui

cui objecerit, quod ſpurius ſit? 12. 10.

Liberi naturales quomodo alieno vitio laborare dicantur? 14 14.

Libellus famoſus cur ab alia iniuria non ſcripta diſtinguatur? 16. 23.

Libelli famoſi appellatione an contineatur Pictura famoſa, ad infamiam alicuius facta? 17. 24.

Libelli famoſi & Picturæ famoſæ eadem eſt pœna. ibid. n. 25.

Libellus famoſus verbalem ne, an realem inferat injuriam? 19. 29.

Libellus famoſus eſt etiam, in quo quis generaliter Criminoſus vel ſceleſtus dicitur. 53. 15.

Libellus, in quo quis impius, malitioſus, vel peſſimus dicitur, famoſus non eſt. ibid. n. 16.

Libellus famoſus quâvis aliâ injuriâ non ſolum acerbior, ſed & multò pernicioſior eſt. 55. 17.

Libellus famoſus ne ſit, vel alia quædam iniuria, ſi pars litigans adverſæ parti ſuæ aut teſti eius, ſcripto quodam judiciali verum aliquod crimen obiiciat? 59. 23.

Libellus famoſus publico & privato judicio vindicatur. 97. 1.

Libellus famoſus quibus Caſibus publico judicio vindicetur ibid. num. 2.

Libellus famoſus inteſtabilem aliquem eſſe jubet. 121. 33.

Linguæ lubricum nō facilè ad pœnam trahendum eſt. 83. 63.

M.

MAgiſtratus licet ſubditum verbis iniurioſis juſta ex cauſa corrigat, iniuriam inferre non dicitur. 92. 23.

Ma-

Magiſtratui deferens eum, qui ſaluti publicæ perniciem creaſſe dicitur, præmium meretur. 130.3.

Maritus pro dote vel donatione propter nuptias conventus, ſi uxori in vim exceptionis tale opprobriũ, quod impudicè vixerit, ad cauſæ ſuæ utilitatem obiecerit, pœnâ famoſi libelli non tenetur. 62.28.

N.

NAtura rei alicuius quid? 24.3.

Nemo in delictis pœnitentia ſua nocens eſſe deſinit. 71.42.

O.

OPiniones DD. tres de vero Crimine in libello famoſo obiecto, eiusq; pœna, reiiciuntur. 46.12.

Opinio DD. qui exprobrationem adverſario vel teſti in iudicio factam non obligare exprobrantem ad ullam injuriarum pœnam etſi veritatem Criminis non probaverit, refutatur. 63.29.

Opinio Lud. Schraderi, quod retorſio non tollat actionem iniuriarum, qualis. 73.46.

Opinio vulgi, dum infamem effici eum, qui iniuria ab aliquo affectus eſt donec vel retorſione uſus fuerit, vel ſententiam victricem obtinuerit, opinatur, reiicitur. 85.1.

Opinio eorum, qui libelli famoſi pœnam olim Inteſtabilitatem fuiſſe, putarunt, refellitur 121.34.

Opinio eorum, qui perpetuam cenſent eſſe ſcriptæ Iniuriæ actionem quia uſu recepta, ideò in iudicando ab ea recedendum non eſt. 127.43.

Digitized by Google

Opus ſculptile vel fuſorium in alicuius infamiam factum, eiuſdem conditionis eſt cum libello famoſo 18. 28.

Ordinatio Carolina Crim. art. 110. in voce, underſchreibt / quomodo accipienda, perſpicuè docet Author. 28. 9.

P.

PAſquilli derivatio. 8. 2.

Pater bona filii adventitia alienare nequit. 67. 35.

Pater non poteſt repudiare hæreditatem filio delatam, nec legatum aut fideicommiſſum ei relictum. ibid. nu. 36.

Pater injuriam filio Emancipato illatam remittere non poteſt. 70. 40.

Patriæ proditorem qui capit aut interficit, premio affici jubetur. 130. 2.

Pœna famoſi libelli, alius cuiusvis ſcriptæ iniuriæ pœna, longè gravior eſt. 5. 9.

Pœna libelli famoſi in illuſtris alicuius perſonæ infamiam facti alia eſt, quam perſonæ privatæ. 37. 18.

Pœna famoſi libelli primò tenetur Author illius. 42. 1.

Secundò, qui ab alio Compoſitum deſcripſit. 42. 2.

Tertiò, qui ab alio ſcriptum vel compoſitum edidit. ibid. n. 3.

Quartò qui mandavit vel iuſſit, ut ſcriberetur, componeretur vel ederetur, ibid. numer. 5.

Quintò qui inventum alicubi famoſum libellum in publicum profert. 43. 6.

Sextò, qui libellum famo-

ſamoſum vendit vel emit, aut vendendum emendumve curavit. ibid. nu. 7.

Septimo, qui famoſam Cantilenam à ſe vel ab alio compoſitam in foro vel platea cantat. ibid. nu. 8.

Octavo qui famoſum libellum fabricavit, licet ipſe non publicavit. ibid. nu. 9.

Pœna famoſi libelli nemo niſi doli Reus tenetur. 44. 10.

Pœna ne famoſi libelli teneatur is, qui verum alicui crimen in eodem obiecit, quæſtio eſt anceps? ibid. num. 11.

Pœna famoſi libelli, in quo verum Crimen obiectum eſt, an & quomodo teneatur Diffamator, docet Author. 48 13.

Pœna ne famoſi libelli teneatur is, qui talem alicubi repertum & lectum à ſe alii cuidam ſecretò legendum exhibuit, quaritur? 54. 18.

Pœna famoſi libelli num teneatur is, qui repertum alibi talem legit, & alii ſimiliter legendum exhibuit, qui quidem eundem quoque legere cœpit, antequam verò legendo hunc abſolvit, pœnitentia ductus, è manibus eius excuſſit, quæſtio eſt anceps. 55. 19.

Pœna famoſi libelli an teneatur is, qui ab alio compoſitum eiusmodi libellum nactus, manifeſtavit, paratus demonſtrare Authorem. 56. 20.

Pœna ne famoſi libelli ordinaria teneatur is, qui hunc quidem cōpoſuit, & alicubi affixit, ante-

antequam tamen publicatus fuerit, eundem pœnitentiâ ductus reſixit & corrupit? 58.21

Pœna famoſi libelli num teneatur is, qui famoſum libellum fabricavit, at non manifeſtavit ſed ſtatim corrupit? 59.22.

Pœna famoſi libelli aliave Iniuria nemo tenetur, niſi de alicuius dolo & animo iniuriandi conſtet. 61.25.

Pœna Iniuriæ eſt, quod Iniuriator in iuriam recantare tenetur. 81.60.

Pœna delicto ſemper reſpondere debet. 83.63.

Pœna libelli famoſi quæ ſit, mirificè variant Interpp. 98 4.

Pœna Capitalis non ultimo tantũ ſupplicio, ſed & aliis conſtat pœnis. ibidem.

Pœna famoſi libelli quandoque Capitalis, quandoq; alia certa, aliquando arbitraria eſt. 100.5.

Pœna Capitali, cuius tantum L. un. C. de famoſ. lib. meminit, ultimum ne ſupplicium, vel alia etiam pœna deſignetur, controvertunt DD? ibid. n. 6.

Pœnâ Capitali in Iure Communi vel ſtatutario deportationẽ tantum ſignificari, ſentiunt communiter Dd. 101.7.

Pœna Capitali in Iure Communi vel ſtatutario ſignificatur deportatio, niſi materia ſubiecta vel Coniecturæ aliud ſuadeant. 102 8.

Pœnis Capitalibus membri mutilatio, fuſtigatio, relegatio non annumeratur. 107.11.

Pœnæ Capitalis in Iure noſtro tres tantũ ſpecies ſunt. 108 11.

Pœna mortis ut quis afficiatur ob famoſum li-

Digitized by Google

libellum, tria conjunctim requiruntur. 111.14

Pœna mortis in l. un. C. de fam. libell. definita, per Sanctionem Carolinam abrogata non eſt. ibid. n. 15.

Pœna mortis in d. l. un. per Receſſus Imperii abrogata non eſt. ibid. n. 16.

Pœnam arbitrariam Authori famoſi libelli, in quo verum Crimen continetur, nomen vero Authoris adſcriptum nõ eſt, imponi iubet Carolina conſtitutio. 112 18.

Pœna famoſi libelli, cui Authoris nomen inſertum non eſt, quæ ſit? 113. 20.

Pœna arbitraria infligi poteſt ei quoq;, qui Crimen aliquod Extraordinarium in libello famoſo alicui obiecit. 115. 22.

Pœnas hodie omnium delictorum arbitrarias eſſe, etiam Iure Juſtini. aneo quidam opinantur. 118. 26.

Pœna famoſi libelli de Iure Canon. eſt flagellatio vel Anathema 120.31

Pœna Excudentium, vel vendentium famoſos libellos, quæ? ibid. n. 32.

Pœna certa pronunciatur contrà Reum Criminis famoſi libelli, quãdo condemnatur. 121.35.

R.

Remedia Iuris plura ex uno facto quando competant, id quod levius eſt, nõ tollit id, quod pinguius eſt 74. 49.

Remedia plura, quãdo ad eandem rem ex uno facto competunt, unũ abſorbet alterum. 76. 54.

Ad recantationem nõ facilè condemnandus eſt is, qui lubrico linguæ potius, & Calore Iracundiæ injuriam alicui intulit. 82. 63.

k Re-

Digitized by Google

Receſſus. Imperii de An. 1548. in fin. tit. von Handwercks Söhnen / Geſellen vnnd Lehrknaben / ꝛc. & *Receſſus Imp. de An. 1577. tit. 38.* Es ſollen / ꝛc. 93. 25.

Reſtrictionem non inducunt, quæ frequentioris uſus gratiâ in LL. exprimuntur. 28. 8.

Retorſio an injuriarũ actionem privatam tollat? 72. 45.

Retorſionis remedium non exiſtimatur Injuriato plenè conſulere. 73. 47

Retorquens injuriam ſibi illatam in obtrectatorem, injuriam purgare dicitur. 75. 50.

Retorſio vel recantatoria actio nec rei nec pœnæ pecuniariæ perſecutoria eſt. 81. 59.

Retorſionis remedium Iure Pandectarum permiſſum eſt. 82. 62.

Retorſio quid. 127. 44.

Retorſio in continenti fieri debet. 128. 45.

Retorſio in continenti quæ dicatur fieri? ibid. nu. 46.

Retorquens ſtudioſè cavere debet ne in regerendo injuriam, modum excedat. 129. 47.

Retorſio an licitè his verbis fieri poſſit: Tu mẽtiris, *ut fur, ut ſceleſtus, ut latro? ibid. n. 48.*

Retorſione actionem injuriarum non aboleri exiſtimantium argumẽta refutantur. 77. 55.

Reum falſæ monetæ qui accuſat, præmium meretur. 130. 4.

Singulis concedendũ non eſt, quod quibuſdam tantum iuſta ex cauſa permiſſum eſt. 92. 24.

Spurius ſit ne Infamis? 12. 11.

Spurius de jure Canon. tanquam notâ aliqua laborans ad ſacros ordines promoveri prohi-

Digitized by Google

hibetur. 13. 12.

Spurius qualis Iure divino habeatur? & an ad divina munia admittatur? ibid. n. 13.

Spurius apud graves Viros ob parentum vitium levi quadam macula affectus eſt. 15. 17.

Spurio in petendis honoribus legitimè natus præfertur. ibid. n. 18.

Spurius in Adſeſſorem ne cooptetur, ordinatione Camerali cautũ eſt. ibid. n. 19.

Spuriis in quibuſdam Academiis Inſignia Doctorea non conferuntur. ibid. n. 20.

Subſtantia cuiuſq; rei in Iure noſtro, cuiusvis rei forma eſſentialis eſt. 24. 1.

Subſtantia & Natura rei differunt. ibid. n. 2.

Subſtantia famoſi libelli. 25. 5.

De ſubſtantia famoſi libelli an ſit omiſſio nominis illius, qui ſcripſit libellum? ibid n. 6.

De ſubſtantia famoſi libelli an ſit ut in eo exprimatur nomen illius, in cuius in famiam ſcriptus fuit? 30. 10.

De ſubſtantia famoſi libelli an ſit, ut quis apud bonos & honeſtos viros diffamatus ſit? 32. 14.

De ſubſtantia famoſi libelli an ſit, ut in eo ſpeciale & certum alicui Crimen objiciatur? 34. 15.

Ad ſubſtantiam famoſi libelli deſiderant Iura, ut in eo quid ſcriptum ſit ad infamiã tantum alicuius, non ut crimen certo nomine exprimatur. 35. 16.

Subſtantia famoſi libelli in doloſa tantùm objectione facti alicuius ignominioſi ad infamiam alicuius per Scripturam facta conſiſtit. 36. 16.

k 2 Ta-

T.

Alionis pœna imponitur ei, qui famoſo libello nomen ſuum adſcripſit, Crimen verò aliam quam mortis pœnã meretur, & Crimen illud innocenti obiectum eſt 112. 17.

Text. in Can. Coniunctiones. 35. q. 2. & 3. verſ. Nos vero. explicatur. 14. 16.

Typograhus qui excudit libellum famoſum, pœnâ famoſi libelli tenetur. 42. 4.

V.

Veneti non admittũt Spurios in ſuum Cõſilium. 12. 21.

Vita & fama à pari procedunt. 3. 4.

Voluntatis intentio in quem dirigatur, inſpicienda, non quo cum loquatur quis curandum eſt. 32. 12.

Vox, Scelestús, *ad infamiam pertinet.* 12. 9.

Vocis, Infamare, *ſignificatio.* 51. 16.

Vſu receptum in una aliqua re id contrà Ius ſcriptum aliò extendi nõ debet. 80. 58.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google